ANTONII DEUSINGII
Med. ac Philos.

FASCICULUS DISSERTATIONUM SELECTARUM,

Ab Autore

Collectarum ac Recognitarum:

Cum Auctario.

Quarum Indicem adjecta Pagina exhibet.



GRONINGÆ,

Typis JOHANNIS COLLENI, Bibliopolæ & Typographi, 1660.

Nobilißimis, Amplißimis, ac Magnificis Dominis,

D. D. OMLANDORUM COMMISSARIIS.

Salutem ac Felicitatem P. ANTONIUS DEUSINGIUS.

Nobilißimi, Amplißimi, ac Magnifici Domini,

AD OMLANDIÆ Proceres, quorum ſplendorem ac Magnificentiam Vos, quaſi per Compendium, ex Delegatione publica repræſentatis, conſimiliter ut ad Urbanos (ad quos antehac ſeorſim obſervantiæ τεκμήρια direximus,) ſpectare debet ratio laboris at-

que studii, quo Academiæ Provinciali Urbis & Omlandiæ opellam nostram ex officio impedimus. Ut adeò & Vobis, D. D. Proceres Magnifici, consimili alacritate, quâ & Splendidissimis D. D. Proceribus Urbanis, rationem villicationis reddere omnino jure meritoque teneamur. Quid assiduè, quid indefesso ac relligioso studio, fidelitate, ac quâ par est diligentiâ, pro adornanda Sparta nobis tradita, per functionem ordinariam, in Academia præstemus, id in quorumvis oculos quotidie incurrit; atque viva publicaque idem Academiæ loquuntur testimonia, maledici cujusvis, (ne jactantiæ quid tribuatur,) ac canino dente arrodentis ea quæ concernunt decus Academiæ, os impudens, impurum, mendax, obturantia: Quid in privatis Exercitiis, quę hactenus dum Academiæ obstricti sumus, annos tredecim, gratuita cujusvis generis in Re Medica obtulimus, habuimusque frequentissima, cum studii tum operæ

quotidie

quotidie contribuamus, ita ut & ordinariis ſolennibuſque Academiæ rariſſimè parcamus feriis, teſtari poſſunt Viri tot egregii, per Orbis tractus varios diſperſi, qui opellâ noſtrâ qualicunque in hoc genere hîc uſi ſunt; teſtari poſſunt idem noſtri etiamnum in Provinciali veſtra Academia præſentes Auditores, cùm frequentiâ tum diligentiâ priſcis temporibus Prędeceſſorum haud cedentes. Denique quod ſpectat porrò monumenta publica induſtriæ, quibus per Orbem Chriſtianum, quin & ultrà, inclareſcat veſtra Academia, refulgeatque glorię celebritate Procerum munificentia, hæc utique cùm à Prædeceſſoribus, tum à Collegis noſtris nunc præſentibus, innumera, velut Heroës olim ex Trojano equo, prodiêre pridem, prodeuntque etiamnum: Inter ea, cùm vulgare illud, *Bene qui latuit, bene vixit*, Profeſſori publico vix queat convenire, ſub tenuitate noſtra ſtudium utcunque, indefeſſum, ac

assiduum laborem, rebus non omnino inutilibus, ut spero, ac pręsertim Spartam nostram concernentibus, impendimus: ut, si scriptorum editorum copia sit æstimanda, fortean non minus in hoc genere laboris præstiterimus, quàm ante nos à Facultatis nostræ Antistitibus in Academia est præstitum; si qualitas Scriptorum, sive genius, vel rerum aut conceptuum præstantia ac dignitas sit expendenda, meum non est hîc suffragium conferre, ipsemet tenuitatem meam facilè agnosco: Interim alacritatem addit, quod jam dudum videam, non modò favitoribus Amicis, Viris eruditis, per alloquia privata literaria, probari nostra, ac haberi non ingrata; sed & in vicinis quidem locis de iisdem mentionem fieri, cum applausu publicè, à Viris Celeberrimis, fortasse olim minùs vel amicis vel familiaribus; quin & in oris exteris, Italia, Germania, & alibi, haud equidem cum sequiore aliquo af-

fectu

fectu ab Excellentissimis ac summis Viris nostra pridem allegari scriptis publicis observem. Equidem, haudquaquam tantæ dignitatis ipsimet tenuitatis nostræ istiusmodi specimina censuimus; dum saltem eâ promptitudine conatuum, ac animi propensione Spartam nostram exornare sedulò annitimur, ut quò se offert copiosior occasio ad Auditorum promovenda studia, eò alacriori animo elargiamur nosmetipsos pro virili nostra, neque sit laboriosus unquam labor ullus, quo queamus decus ac splendorem Academiæ illustriorem reddere, ac votis Auditorum non duntaxat ordinario officio, sed item extra-ordinariis conatibus succurrere. Quod munus spectat alterum, quo itidem Provinciæ in Praxi Medica obstrictos nos agnoscimus, id sanè tædii molestiæque plusculum præ altero commixtum habet, dum per ægritudines officiosa discursatio quotidiana partem animi non contemnen-

dam ſibi vendicat, ac corpori quandoque ne de nocte quidem ferias largitur. Interim, quo ſtudio, labore, atque diligentiâ, ac quo interea felici dexteræ divinæ adjumento & auxilio, favente Numine, ægrorum deſideriis votiſque paſſim præſto ſimus, fortè nemo Veſtrûm eſt qui non in ſe vel ſuis ſit expertus, certè nemo Veſtrûm eſt qui neſciat. In eo ſanè gloriari poſſum jure merito, quòd invidi obtrectatores ſtupeant, & in maledicam abripiantur admirationem, haud percipientes mente lævâ, quî cum frequentiſſima hac noſtri occupatione, quam ægrorum indefeſſa cura poſcit, tot labores, Academici conjungi queant, quos benevolo affectu ipſi paſſim D. D. Proceres, laboribus faventes, proſequuntur & extollunt. Illis equidem nequaquam velim ab Amicis aut Fautoribns reponi ſtudia maturiora forſan, ac jam pridem mente defæcatiore cocta & elaborata magis, quàm eorum ſunt, qui inviden-

invidentes Academiæ honori, passim sub vinoso halitu, vel crassioris cerevisiæ nidore, vel maligno quodam spiritu inebriante atque dementante, unicè ad quæstum id quod didicêre obiter, per fraudes sæpe & mandacia impendunt; nolim nobis ab Amicis studia attribui, quæ sint in promptu per maturitatem, quæque condimentis necessariis ac gratioribus sint ordinata magis ad palatum, cum docendi quadam promptitudine accommodata Auditoribus. Agnosco sanè ipse me non ita expeditum esse, quin & tempus & laborem cogar rebus seriis impendere; nec velim adeò extemporaneus videri, quin & docendo discere quotidie menon diffitear, ac per assiduum in studiis laborem ad maturitatem aliquam perfectiorem demum studia perducere: Initiatos nos omnino credimus, cum Seneca, ac in vestibulo Naturæ hactenus hærere profitemur: Illud tantùm sciant invidi admiratores nostri, (quorum

maledicum calumniandi ſtudium per documenta publica retundimus,) ſat vitæ nobis atque otii inter tot occupationes integrum ſervari; dum nimirum nec popinæ, nec cauponæ, ſive diverſoria quæcunque, & qui obtinere luſus paſſim illic ſolent, haud ſimiliter ut circa ipſos fortè accidit frequentiùs, nobis quid detrahunt, nec crapulæ edormiendæ vel aurora vel & dies ipſe requiratur. Utique rariſſimè nos videt aliquis, quò non vocati ſimus ratione muneris; nec Procerum ipſorum, aut Fautorum atque Amicorum limina intempeſtivè terimus: Vocati ad officia præſtanda laborantibus, id quod eſt noſtri muneris præſtamus. Multum ergo temporis, quod perit plurimis, cùm vitæ atque functionum ipſis creditarum detrimento, nobis integrum ſervamus; illud verò exornandæ noſtrę Spartę Academicę impendimus; in qua perfectò (citra arrogantiam hoc dicimus, ad retundenda tantùm ora hominum

minum maledica ex mente læva judicantium,) quandoque super-erogationis opera quæcunque non gravamur contribuere. Quin imò ipsæ occupationes practicæ, quantumvis molestissimæ quandoque, nobis ansam præbent ampliorem, per nobiliores meditationes largiùs nos effundendi, ac pro functionum ordinariarum Corollariis, in decus Academiæ, ac Juventutis commoda, subinde quicquam adornandi ac in lucem proferendi. Inter alia exemplo sunt nonnulla horum, quæ collecta in Fasciculum, Vobis, Nobiliss. & Ampliss. D. D. Proceres, eâ quâ par est observantiâ, hîc offero: Ex quibus alia, occasione datâ vel arreptâ, porrò pullulârunt. De *Unicornu*, & *Lapide Bezaar*, non aliâ disserui occasione, quàm ut hac quoque ratione ex obliquo, velut idem aliâ agebam viâ ex professo, (quod *Chirurgo-Medicaster* noster, cùm videbit lucem aliquando, aliaque quæ huc spectant, publicè osten-

ostendet,) lapsus & errores, sæpenumerò lethales, temerarii ac imperiti generis mortalium, quod nihil non temeritate suâ in pernitiem ægrorum audet aggredi, detegerem; adactus ad hoc ipsum importunitate ipsorummet Pseudo-Medicorum, qui ad inferendam ægrotantibus pernitiem, ac intentandas Medicis ad saniora cohortantibus injurias ac contumeliam, sunt facti. Quorum maledicentiam ut viâ Juris in ipsorum capita retorsimus; sic & temeritatem & inscitiam tendentem in pernitiem mortalium, produximus in publicum. Profectò nihil ullibi plus tædii molestiæve Praxi Medicæ affundit, quàm licentia id genus hominum imperitissimorum, at stupenda tamen cum audacia in ea quæ non capiunt, cum ægrotantium exitio quandoque, sese ingerentium; dum utique curare morbos ipsos longè minùs passim est difficile, quàm imperitam hominum ejusmodi temeritatem, ne ægroti damnis au-

nis augeantur, amoliri. Scilicet, hæc multis ratio videtur esse liberæ Reipublicæ, ut quod cuivis libet liceat, ut neque culpa sit, vel pœnâ dignum, si quis rebus ad se non spectantibus se ingerens, occidat quenquam, dummodò prætextum medicaminis inveniat, qui propinavit pharmacum lethiferum: Ac talibus omnino, dum mos idem obtinet in Arte nostra, qui jam olim Plinii temporibus familiaris erat, (ut nimirum *cuicunque Medicum se professo statim credatur, quamvis sit periculum in nullo mendacio majus*,) illud insuper perpetuum habetur, ac statuitur quadrare optimè in liberam Rempublicam, quod Plinius pronunciat lib. 29. N. H. cap. 1. nimirum, *Nullam esse Legem, quæ puniat inscientiam* Medicastrorum *capitalem, nullum exemplum vindictæ. Discunt*, inquit ille, *periculis nostris, & experimenta per mortes agunt, Medicoque tantùm* (nempe talem se professo per mendacium,) *hominem occidisse im-*

impunitas summa est. His Pseudo-Medicis si quis peritus atque circumspectus Medicus vi muneris ac conscientiæ, ubi in ęgrotantium solatia vocatus est, resistat, ad majora avertenda mala & incommoda; is saltem hominum id genus audacissimorum contumelias, convitia, ac oris impurissimi maledicos sermones, cogitur excipere: At sic adactus, dum humanitate nequeunt à graviori maleficio arceri, si errores detegat ipsorum noxios, pernitiosos, ac lethales, & in se recipiat rem ipsam Magistratui, per documenta solida, productis evidentibus exemplis afflictorum, miserè sub temerarii Chirurgo-Medicastri imperitia hîc lamentantium, hîc exspirantium, meridianâ luce clariorem reddere, cum privilegii renunciatione quoad forum Academicum, (ne cavillentur quid iniqui, aut fortasse credant alii quicunque sequiori quid molimine institui;) facillimo negotio hîc reperitur aliquis Patronus, qui fucatis quibuscunque rationibus,

tionibus, quin imò per fallaciam apertam, Pseudo-Medico succurrat: Non jam dicam affectare tale patrocinium fortasse aliquem Papicolam, qui velut nec Ecclesiæ, nec Academiæ Provinciali, ita neque Seniori Ejus, neque Professori Hujus faveat; (nam certè inter illos plurimi honestiores sunt;) nec dicam Bacchi aliquem Fraterculum, qui fortè ipse nescit quam relligionem probet aut profiteatur, hîc Patronum sese exhibere; neque incusabo Advocatulumquemcunque,aut dicaculumCausidicum,vel profugum ex Academia, vel pridem ob facinora è Contubernio ejectum, qui se ultrò jungat in consortium; Sed, ne sit causa ulla tam propudiosa quæ Patrono careat, se pronum præbet Juris Doctor quidam, ad præstandum patrocinium; qui licet ipse imperitus ac ignarus planè omnium quæ Artem Medicam concernunt, facilè per strophas Artis Rabulariæ (quam detestantur Viri graves

ac Jure-Confulti folidi,) quid comminifcitur, quo credat Medicaftrum fe tueri poffe, vel à pœna faltem ipfum vindicare, ac afferere in priftinam Licentiam. Nimirum ita ex Juris-Peritia Patroni talis ordinanda ratio, ut caveatur quantum fieri poteft, ne in ea quæ funt Medicinæ, feu quæ ipfammet ægrorum incolumitatem perditam per Medicaftrum fpectant, (quafi quod alterius hæc fori fint,) à Magiftratu inquiratur: Adeóque in perverfum fenfum ftatus Controverfiæ eft transformandus, (quamvis per calumniam, id parùm refert, modò profit,) ac urgendum, quafi pro Latrone habeatur Medicafter. Nec officiet calumniæ cudendæ contra Profefforem (nunquam malè de Patrono Medicaftri, fed omnino optimè quandoque meritum) quod Patronus ipfe forfan per folenne juramentum Profefforibus obftrictus fit, ac fub Inauguratione Doctorali fanctâ fide fit pollicitus, fe poft Illuftres

D.D. Or-

D.D. Ordines, ac D.Curatores, *Professores vicissim honoraturum, nihilque omnino dicturum facturumve, quod honorem eorum lædere, aut quovis modò minuere possit; sed eorum commoda utilitatemque quovis loco, quovis tempore, pro virili procuraturum,* &c. Tale, inquam, juramentum non officiet, non dico, ne qui juramentum præstitit, Patronum se non præbeat adversus Professorem, in re justa, aut quæ saltem justa videatur; (id enim fieri ac licere congruit justitiæ:) sed nec officiet, quò minùs per calumniam apertam is, qui actionem intentavit, patrocinium inveniat in mala causa, quam Patronus ipse non intelligit. Nimirum fundamento jacto per calumniam, quòd Latro proclametur Medicaster, satis erit si à Latrocinio, vel Homicidio Corneliam spectante Legem, is defendi possit; vel omnino, si quis Medicus professus sit, ac manu suâ consignaverit, (ne quid in verbis vel in sensu immutetur,) Hominem

impe-

imperitissimum per ausus temerarios *lethalium symptomatum ac consequenter mortis causam extitisse*, adigendus is est, qui hoc ausus fuit profiteri, ut *Latronem* esse seu dolosum *Homicidam* Medicastrum probet: Quod utique cùm demonstrari nequeat, dum occidendi animus non adfuit, in caput Medici fortasse pœna recidet; ac interim securus erit Medicaster insolens: qui, veluti vel ipsi Medico immunis creditur à Latrocinio vel Homicidio de quo Cornel. Lex de Sicariis, sic fortè passim omnis culpæ expers persuadebitur, quantumvis causam evidentem mortis per temeritatem suam ac inscitiam præstiterit. Similiter omnino, qui rem nauticam aggreditur, Nauclerum se peritum simulans, quò plurimos alliciat, in spem mercedis amplioris, at velorum interim ac gubernaculi regundi penitus ignarus, dum sic navem cum hominibus evertit, cùm non fecerit id occidendi animo, adeóque neque Latro

dici

dici queat, neque Homicida qui ſit dolo malo uſus ad intentionem mortis, utique immunis is ab omni culpa, ſi Patrono tali adhibenda fides, eſt cenſendus; illum verò ſi autorem mortis per inſcitiam auſuſque temerarios quis eſſe dixerit, is Latrocinium vel Homicidium commiſſum probet eſt neceſſe, vel confiteatur ſe erràſſe. Conſimiliter, ſi quis temeritate merâ, citra functionis ſuæ aut vocationis rationem, vel in lucri conquirendi ſpem, aggrediatur currus moderamen, nunquam antè currui regundo, nec habenis moderandis aſſuefactus; at in præceps agat illâ temerariâ inſcitiâ cum curru homines, ut confringantur hiſce brachia vel crura, illis collum ipſum pervertatur: an quis talem occidiſſe quenquam per temeritatem ſuam auſit dicere? Cùm utique nequaquam Latrocinium huic imputari queat, nec adfuerit deſtinatum quenquam occidendi inſtitutum aut conſilium? Has ſtrophas certè neu-

tiquam

tiquam Juris-Prudentia procudit; sed omnino sequius quod Artificium, quod tamen Procerum judicio nequaquam officit caliginem, nec fucum sanæ rationi facit: Illud verò Sapientes simul ac Prudentes Viri, ac Periti Juris genuini, & Justitiæ Patroni haud fucati, cum injusta causa Pseudo-Medicorum aliis relinquumt quibuscunque. Scilicet Patronos horum didicisse pridem, vel non lapsu mentis aut memoriæ dedidicisse oportebat, quod à Medico nunc discere necesse habuerunt; *Mulionem quoque, si per imperitiam vel per infirmitatem, impetum mularum retinere non potuerit, quas alius firmior retinere potuisset, si eæ alienum hominem obtriverint, culpæ reum esse*, per Leg. 8. ff. ad Leg. Aquil. & Instit. de Leg. Aquil. §. 8. Ac quamvis *multum intersit*, *occiderit aliquis* (id est *Homicida* vel *Latro* sit,) *an causam mortis præstiterit*, per Leg. 7. §. 6. ff. ad Leg. Aquil. *occidisse* tamen *dici vulgo*, *qui causam mortis quolibet modo præbuit*,

per

per Leg. 51. ibid. Ac rurſum, quamvis *qui* duntaxat *cauſam mortis præſtitit*, *Aquiliâ non teneatur*, per cit. Leg. 7. §. 6. ut nec is *qui caſu occidit*, *ſi modò culpa ejus nulla inveniatur*, Inſtitut. de Leg. Aquil. §. 3. ut adeò *qui hominem occidit*, *ſi non occidendi animo hoc admiſit*, *abſolvi poſſit* ab Homicidio ac Latrocinio, per reſcriptum Hadriani Imperatoris, quod extat ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. & Venef. §. 3. Reverà tamen ſcire Juris ac Juſtitiæ Patronum oportebat, eum *qui cauſam mortis præſtitit*, *in factum actione teneri*, definiente Celſo, cit. Leg. 7. §. 6. ff. ad Leg. Aquil. Quin imò, *ſi quis per vim*, *vel ſuaſum*, *medicamentum alicui infuderit*, *vel ſi eum unxerit malo veneno*, *lege Aquiliâ teneri*, per Leg. 9. §. 1. ff. ad Leg. Aquil. Præterea & hoc imprimis ignorare non debebat Juris Doctor, ac Patronus Pſeudo-Medici, quòd *culpa ſit immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti* (adeóque culpa ſit omnino, ſi Chirurgo-Medicaſter ſe immiſceat,

cum

cum ægrotantium pernitie, negotio quod non intelligit, quod supra ejus est vocationem,) ex Leg. 36. ff. de Reg. Jur. Eundemque scire oportebat, quòd & *Imperitia culpa annumeretur*; *velut si Medicus ideo servum tuum occiderit, quia malè eum secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit.* Institut. de Leg. Aquil. §. 7. Et, quòd *affectare quisque non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem* (seu *imperitiam*) *suam alii periculosam futuram*, per Leg. 8. §. 1. ff. ad Leg. Aquil. Denique & hoc tenere utique debebat Juris Doctor, *quod per imperitiam quis commisit, imputari ei debere*, ff. de Off. Præs. Leg. 6. §. 7. Atque *prætextu humanæ fragilitatis* (seu ignorantiæ vel erroris) *delictum decipientis in periculo homines* (quale delictum omnino est cujusvis Pseudo-Medici, jactantis falsò rei Medicæ peritiam, ac ita ausu temerario aggredientis curam internorum corporis affectuum gravissimorum quorumcunque,) *innoxium*

esse

esse non debere, ibid. Itemque, *Magnam culpam* (qualis ea est omnino, quæ cum dispendio salutis atque vitæ est conjuncta) *dolum esse*, per Leg. 226. ff. de Verb. Signif. quamvis fortè dolus non sit protinus quoad intentionem mortis, adeóque Latrocinii non illico hæc impostura reum faciat; nec Medicorum salutaris admonitio officiat, quò minùs possit suus impostori tali honos post delictum prorogari. Hæc, inquam, & similia ex Jure nota, scire Juris Doctor utique debebat, ac non ita temerè & imprudenter malæ causæ patrocinium suscipere, super conficto à se ipso atque contumelioso fundamento, ex maledicentiæ quacunque penu, per calumniam producto; neque destinato animo procedere in immerentis contumeliam, contra id quod definitum ab Impp. Valentin. & Valent. circa boni Advocati munus & officium, per Leg. 6. Cod. de Postulando; dum interea ex imprudentia Patroni talis Cliens ipse,

ipſe, per calumniam injuriarum actionem intentando, commereretur pœnam definitam Leg. 43. ff. de Injur. Plures rationes, pro indignitate inſtituti talium Cauſidicorum arguenda, impræſentiarum non adduco, poſtquam fabula jam recitata ſuum eſt ſortita exitum ad vota atque exſpectationem noſtram; iis porrò quæ concernunt bonum publicum relictis atque commendatis nobili officio ac curæ D. D. Procerum: Nec verò tanti ſunt Prudentioribus maledicorum hominum calumniæ, quæ ſuâ ſponte reciderunt in autorum capita, ut propter eas Vir honeſtus, ullam aliquam vindictam meditari debeat; quemadmodùm nec ex Socraticæ Philoſophiæ Sectatoris dignitate foret, calcitranti Aſino recalcitrando ſe opponere. Cum *Seneca* Philoſopho pronunciare libet, ex cap. 13. de Conſtant. Sapient. *Quis Phrenetico Medicus iraſcitur? Quis febricitantis, & à frigida probibiti maledicta, in malam partem accipit?*

accipit? *Hunc affectum adversus omnes habet Sapiens, quem adversus ægros suos Medicus: quorum nec obscœna, si remedio egent, contrectare; nec reliquias & effusa intueri dedignatur, nec per furorem sævientium excipere maledicta. . . . [illegible] ne succenset quidem, si quid in morbo petulantius ausi sunt adversus Medentem: & quo animo honores eorum nihilo æstimat, eodem parum honorificè facta.* Stat per se virtus inconcussa & immobilis: ut liceat constanti Viro, propriâ virtute atque probitatis conscientiâ munito, in quem Maleferiatorum Cohors temerè ac frustra insurrexit, cùm eodem *Seneca* effari ex cap. 17. de Vita Beata. ***Illustrata est virtus mea, per ea ipsa, per quæ petebatur:*** **Produci enim illi & tentari expedit, nec ulli magis intelligunt, quanta sit, quàm qui Vires ejus lacessendo senserunt. Duritia silicis nulli magis quàm ferientibus nota est. Præbeo me non aliter quàm rupes aliqua in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt, undecunque moti sunt, verberare, nec ideo aut loco eam movent, aut** ***per tot***

per tot ætates crebro incursu suo consumunt. Assilite, facite impetum: ferendo vos vincam. In ea quæ firma & insuperabilia sunt, quicquid incurrit, malo suo vim suam exercet. Proinde quærite aliquam mollem cedentemque materiam, in quam tela vestra figantur. Sed missâ fabulâ: Ut per spontaneam submissionem sui, non sub Jurisdictionem planè alienam, sed spectantem ipsos D. D. Urbis Proceres (qui Ipsimet ex patre, juxta cum Proceribus Omlandis, Privilegia dedêre Academiæ, cujus sunt unà Conditores atque Servatores,) observantiam submissam, quâ obstrictos nos agnoscimus, ac studium pro Urbis Civium & Incolarum incolumitate, ipse is qui foro Urbico se sponte, causâ boni publici, submisit, publicè testatus est; Sic Vobis itidem, Magnifici Viri, atque per Vos ipsis D. D. Omlandiæ Proceribus, devotionem animi commemoratione fabulæ non fabulæ, & observantiam consimilem inscriptione Academicorum horum Exercitio-

rum

rum volui teſtatam reddere. Vos animo benevolo, non æſtimatâ rei mole, ſed affectus promptitudine, hæc pignora devoti in me animi admittite; ac ut favore hactenus & animi propenſâ inclinatione, proſecuti eſtis Academiam Provincialem, ac illius Profeſſores, atque inter hoſce nominatim me Provincialem veſtrum Medicum ac Profeſſorem, ita porrò pronum animi affectum ac benevolentiam in nos uberiorem indies effundite. Deus Ter. Opt. Max. conſiliis veſtris juxtà atque D.D. Procerum Urbanorum, benedicat affatim è Cœlo, Urbemque & Omlandiam concordiæ ac mutui affectus vinculo indiſſolubili devinctas invicem, in mutuos amplexus firmet indies, ad ſui nominis excelſam gloriam, ac ſubditorum gaudia, felicitatem, & emolumenta! Votis annuat, qui ipſe pia vota animis mortalium inſtillat! Groningæ, ex Muſæo meo, Poſtridiè Cal. Januar. M DC LX.

INDEX.

INDEX DISSERTATIONUM

Hoc Fasciculo contentarum.

DE MORBORUM quorundam Superstitiosa Origine & Curatione. Pag. 5.

2. DE MORBO MAN-SLACHT, vulgo dicto. Pag. 63.

3. DE LYCANTHROPIA. P. 104.

4. DE SURDIS ab ORTU; MUTISQUE: Ac Illorum Cognitione. P. 147.

5. DE RATIONE ET LOQUELA BRUTORUM ANIMANTIUM. Pag. 187.

6. DE UNICORNU. Pag. 231. & Pag. 641.

7. DE LAPIDE BEZAAR, Paginâ 320.

8. DE MANNA. Paginâ 383.

9. DE SACCHARO. Paginâ 479.

10. DE MANDRAGORÆ POMIS, pro DOUDAIM vulgo habitis. P. 565.

11. DE MANDRAGORÆ MANGONIIS, vulgo dictis Pisse-Diefjes. P. 586.

12. DE AGNO VEGETABILI. Paginâ 598.

13. DE ANSERIBUS SCOTICIS. Pag. 602.

14. DE PELICANO. Pag. 616.

15. DE PHOENICE. Pag. 636.

Admo-

Admodùm Reverendis, pietate, eruditione ac facundiâ conspicuis Viris, Dominis, Dominis,

VENERANDÆ SYNODI GRONINGO-OMLANDICÆ DEPUTATIS:

Admodùm Reverendi VIRI, DOMINI,

AD Vos dirigere Meditationem hanc nostram ipsa me ratio & æquitas impulit, utpote cui in Vener. Vestra Synodo nuper prima occasio data est, quando à Rever. Pastoribus passim, ex pietatis Zelo, pro abroganda longè latéque serpente ac propemodùm inveterata superstitione quadam fuit allaboratum, ac suffragia collata. Communis quippe videbatur complurium Ven. Synodi

 mem-

membrorum solicitudo excita adversus id morbi genus, quod in Frisia vicina, nostraque Omlandia, valde frequens esse ajunt, quodque notum vulgo sub nomine Man-slacht; imprimus verò circa illius curandi rationem, quæ nisi superstitio subesset, ipsaque fraus diabolica se evidenter misceret, verè ludicra dici mereretur. Incognitus sanè omnibus Antiquis Medicis iste affectus est, nec à Recentioribus unquam scripto, quod sciam, traditus, vel examinatus. Cæterùm, cùm Medica videretur Quæstio, quæ in Gravamine Synodico, ad averruncandam superstitionem ordinato, occurrebat, quidnam de Morbo illo, *Manslachtigheydt* dicto, sentiendum sit, &c. *atque à me, qui fortè Synodo Senior intereram, aliquid saltem rationis pro formando judicio exspectaretur, liberiùs equidem quid de illo morbo ejusque curatione sentirem exposui; ostendique paucis, quantum in Consessu suffragii modus ferebat, nil sanæ rationis vel ortui vel receptæ vulgo curationi illius morbi subesse, sed omnia tum à superstitione tum à fraude diabolica pendere. Quæ equidem*

unanimis

unanimis Vener. Synodi sententia fuit; dum interim de sanandis misellorum hominum animis, qui se fallaci ac damnosâ experientiâ (quæ hîc sola fascinat, etiam fortè non vulgarium, mentes,) seduci patiuntur, deliberatum est. Rationes meas, quas fortè obiter digito tangebam, cùm neque physicam neque divinam esse illius morbi vel originem vel curationem ostenderem, paulò fusiùs publico proponi, tum Vestrûm nonnulli, tum vestri ordinis alii Rever. Viri, operæ pretium censebant: quorum desiderio hanc Disquisitionem lubens concessi, quam & in Academia nostra ab ornatissimo Iuvene D. Guilielmo Coomans, Medioburgo-Zelando, *publicè ventilandam proponi, haud gravatè sustinui. Illi materiæ, Affinitatis causâ, in eundem fasciculum adjungo impræsentiarum Dissertatiunculam, antehac per Doctissimum Iuvenem* Φιλίατρον D. Eliam van der Burgh, Enchusâ-Batav. *publicæ ventilationi à nobis submissam,* De Lycanthropia. *Cúmque haud ita pridem casus aliquis in nostro Consistorio Groningano se*

 obtulerit

obtulerit circa Virum à nativitate surdum, mutumque, qui Conciones sacras frequentare solet, visuque sublegere sermonem Pastorum videtur, velut alii auditu, qui saltem eam rerum divinarum cognitionem hausisse se putat, ut ad S. Synaxin admitti desideret, (qualem Casum similiter in Synodo Frisica pronuper agitatum audio,) Dissertatiunculam brevem de Surdis ab ortu, Mutisque, ac Illorum Cognitione, *rogatu unius atque alterius venerandi Amici, libuit subnectere. Vos, Rever. Viri, hoc nostrum qualecunque in bonum publicum studium, aqui bonique consulite; & favete porrò vestro*

R. R. V. V.

Observantissimo

Groningæ Cal. Augusti, M DC LVI.

A. DEUSINGIO.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
MORBORUM
Quorundam Superstitiosa Origine & Curatione:
SECTIO PRIOR GENERALIS.

PRÆTER mille Morborum genera, quæ Divinæ Providentiæ in castigendis atque emendandis mortalium delictis subservientia, à causis naturalibus proficiscuntur, complura alia reperiuntur mala, quæ à causis universæ naturæ vires transcendentibus, ex justo Dei judicio, ac permittente Numine supremo, inducuntur. Hinc Fascinationibus, Veneficiis, Præ-

stigiis, Incantationibus, Actionibus Magicis, similibusque aliis diabolicis Artibus, permagna virtus & olim tributa fuit, & hodie decernitur.

2. Veluti autem humani generis hostis ille ac perditor Diabolus, vel ipse per se, vel servitio usus suorum ministrorum atque asseclarum, hominibus passim nocere solet, non modò impiis ac credulis seu Superstitiosis, aut fiduciâ non satis firmâ in Deum servatorem fretis, sed & piis aliquando, permittente Deo; ad probandam ac testificandam horum fidem & constantiam; ita vicissim sæpiusculè languentibus ipse per suos succurrit, morbisque suâ virtute inductis, illicita piis remedia accommodat, quò sanando corpus animam sauciet, sibique improvidos mortales, majorem sui quàm religionis ac legitimorum mediorum rationem habentes, superstitione devinciat, incautosque à Deo avertat atque in perniciem præcipitet.

3. Vires, inquam, patrandi ea quæ ultra naturalium causarum virtutes exurgunt, frequenter malus Dæmon, dum ludibria facit, tribuere mortalibus videtur, non modò ex professo sive datâ operâ servitio ipsius sese consecrantibus; sed & relligione vacillantibus utcunque, ac proclivibus ad superstitionem, licet fortè nusquam sibi consciis commercii cum Dæmone expliciti: Id verò agit Cacodæmon, non ut homines potentiores faciat; sed ut credulitate eos implicet, sibique arctiùs obstrictos reddat, atque ita socios impietatis & exitii æterni, licet nescientes, consequatur. Interim reverà non tam ipsissmet hominibus has vires Cacodæmon tribuit, quàm ipsemet, sic permittente Deo, agit ea, quæ præstari ab hominibus creduntur: Stulti autem ac vecordes, quos in mancipatum sibi eâ arte redigit, se talia efficere existimant; ac superstitiosi passim talia patrata esse ab hominibus, ac ho-

rum tribuenda moliminibus, permittunt sibi persuaderi.

4. Vicissim sanat ipse Cacodæmon morbos passim, dum vel asseclis ipsius, vel eorum instrumentis vis sanandi ægritudines tributa judicatur: Atque hoc similiter impostor agit, non ut beneficiat mortalibus; sed ut fallaci istiusmodi experientiâ, quâ non causæ tanquam causæ attribuitur effectus, excæcati homines, ad consimilia recuperandæ sanitatis media contendant, ac neglecto Deo, neglectâque ordinariâ Dei ministrâ, naturâ, mediis illicitis in propriam pernitiem utantur, sicque implicari mentem superstitione atque fraude diabolicâ permittant.

5. Ita verò tum scientes, tum & nescientes passim, ille artifex vaferrimus, & improbus impostor, rerum specie externâ fallit: atque ut in Lucis Angelum se transformare satagit, sic & nec Sacro-sancto Dei nomine, nec sacris Dei eloquiis, nec formulis preca-

precationum atque benedictionum, quibus vim inesse certam sit persuasum, temerè abuti erubescit.

6. Ad quatuor autem genera id genus superstitionum atque diabolicarum fraudum posse revocari commodè, censemus. Primò enim *visu* ipso *læsiones* ac *sanationes* posse peragi creduntur. 2. *Verbis* atque *characteribus*, 3. *Instrumentis*, *actionibus*, ac *machinationibus* quibusvis aliis illicitis veréque *magicis*. 4. *Contactu* sive *contrectatione*.

7. Ad *primum genus*, *visu læsionem inferens*, referri debet illa fascinatio, cujus Poëta meminit, cùm

Nescio, inquit, *quis teneros oculus*
mihi fascinet agnos.

Similiter Plinius libr. 7. N. H. cap. 2. ex Isigono refert, in Triballis, & Illyriis esse, qui visu quoque fascinent, interimantque quos diutiùs intueantur, iratis præcipuè oculis: pupillas binas in singulis oculis habere addit: Ex Apollonide adjungit, hujus generis

 fœmi-

fœminas in Scythia esse, quæ Bythiæ vocentur: Ex Philarcho, Thibiorum genus in Ponto, multosque alios ejusdem naturæ, quorum notas refert in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem; eosque præterea non posse mergi, ne veste quidem degravatos. Præterea, fœminas quidem omnes ubique visu nocere, quæ duplices pubillas habent, ex Cicerone refert. Plutarchus ὀφθαλμὸν φάσκανον vocat, similiter Cœl. Rhodig. antiq. lect. lib. 36. cap. 22. *fascinatorem oculum.*

8. Præterea, non modò ab iratis, inimicis, invidis, sed item ab amicis ac familiaribus, quin imò ipsismet Parentibus, infantes visu fascinari atque lædi posse, vulgi est persuasio antiqua. Atque ita Plutarch. 5. Sympos. cap. 7. Haud sanè ignotas, inquit, ut & amicis & familiaribus, & parentibus, nonnulli oculum fascinantem esse existimant, usque adeò, ut mulieres non ostendant illis pueros, nec diutiùs ab

tiùs ab ejuſmodi hominibus inſpectari ſinant.

9. Quin imò, ſeſe ipſos viſu faſcinare poſſe homines, antiquâ ſuperſtitione eſt perſuaſum: Hinc illa de Narciſſo Fabula apud Ovid. 3. Metamorph. fab. 8. qui inſigni formâ juvenis, cùm aquam è fonte hauriens imaginem ſui conſpexiſſet, præ ardenti erga ſemetipſum amore contabuit, vitâque privatus eſt, atque in florem ſui nominis converſus. Similiter de Eutelida Plut. cit. loc. eum, cùm ſibi pulcher viſus eſſet, propriâ ſpecie captum in morbum incidiſſe, ac bonum corporis habitum unà cum pulchitudine amiſiſſe.

10. Inſuper, aſpectus vetularem paſſim creditur infantibus inferre morbos: velut lippientes oculi, vel menſtruatæ fœminæ, intuitu in ſpecula contagium ac maculas imprimere creduntur. Ita Mærim lupi cùm priores viderant, eripuiſſe ei facultatem vocis, non Poëtæ modò fabulantur; ſed

& Ambrosius libr. 7. in Luc. cap. 10. *Lupi*, inquit, *si quem priores hominem viderint, vocem ei quadam natura vi videntur eripere; si autem eos homo prius viderit, exagitari memorantur*. De Basilisco notum est, quod simplici intuitu credatur homines perimere; quin &, si sui videat in speculo vel aqua limpida imaginem, emori ipsummet, opinione vulgi est receptum.

11. *Sanationes* verò per intuitum quod attinet: De rupicula, seu Galgalo, hianticilla dicta, ave, refert Plutarchus lib. 5. Sympos. cap. 7. itemque Helidior. libr. 3. Histor. Æthiop. si oculos in ictericum defigat, sibi morbum, ægro sanitatem afferre. Cæterùm sanationum istoc genus, quod intuitu credatur peragi, haud usque adeò est obvium: Et si quid in hoc genere Diabolus suis mancipiis, aut superstitiosis atque credulis mortalibus persuadet, (ut si quis certo anni die natus, solo intuitu levare ægrum morbo credatur,

datur, aut fictitiæ imaginis, vel characterum, sive statuæ objectu, quæ contueatur æger, morbus abigi existimetur,) id utique præstigiator improbus ad imitationem curationis illius divinæ, quæ occurrit Numer. 21. ubi Israëlitæ, ab aspidibus commorsi, conspecto serpente æneo, curabantur, animis mortalium insinuare satagit. Sed quæ in Sacris istiusmodi curatio occurrit, illa ut vi supernatarali, ac divina penitus, processit, ita & oraculis divinis est insinuata atque comprobata. At citra hanc solius Dei curationem nec Scriptura nec Natura ullam nobis similem sanationem, quæ solo visu peragatur, ullibi insinuat: Ut neque læsiones ullæ solo visu naturaliter induci posse judicandæ sunt.

12. Etenim intuitus seu visio nil agit in visibile objectum; siquidem hæc actio, quæ visio vocatur, quæ reverà potiùs est passio, est planè immanens; ac non emissione radiorum, sed

receptione specierum intentionalium peragitur, adeòque, velut nemo per obtutum oculorum solis radios evertere vel offuscare, aut densare in sublimi nubes valet, vel dissolvere; ita nec morbos aliis inducere, aut ægritudines averruncare, oculorum simplici intuitu quis potis est.

13. Sed nec qui intuetur aliquod objectum, ex intuitu simpliciter vel morbum contrahit, vel sanitatem adipiscitur: Reverà namque species intentionalis, quæ visione, oculo obtingit, non magis intuenti aliquam mutationem infert, quàm objectum quodvis speculo oppositum, repræsentando sui speciem in speculo, immutat ipsum speculum.

14. Certè, si sub visione ab objecto quod videtur, in cernente aliqua mutatio contingat, illa neutiquam à simplici intuitu objecti proficiscitur; sed pendet vel à naturali aliquo effluvio substantiæ subtilis, aut vibratione quadam

dam ex objecto emanantis, atque aërem intermedium primò, dein & corpora distantiora, atque oculos qui ita perstringuntur, immutante, (quod in irradiatione solis observamus fieri,) vel ab animo illius, qui objectum visu percipit, per apprehensionem aut imaginationem, vel terrorem, aut fiduciam, exagitante spiritus, ac ita speciem quamcunque corpori, in quo se ipse animus cum agitatione corporis exercet, imprimente.

15. Magna utique est virtus apprehensionis & imaginationis (de qua vid. Sennert. Conf. & Dissens. Aristot. cum Galen. cap. 14. Fienus peculiari tract. de Virib. Imagin.) ipsaque animi pathemata corpus ipsum, in quo excitantur, diversimodè immutant. Quantum valeat imaginatio, in gravidis frequenter observatur: Atque velut terror sæpius languorem corpori inducit; ita & fiducia alacritasque animum ac spiritus extollit, erigitque facultatem

tem fatiſcentem, naturæque adeò, quæ ipſamet morborum eſt curatrix, robur ac ἐνέργειαν conciliat. Unde non ſine ratione Hippocrates fiduciam in ægris erga Medicum requirit.

16. Verùm, hæc ipſa ratio abunde arguit, nil ipſi viſui per ſe virium attribuendum eſſe, quoad læſionem vel ſanationem: Cùmque ſæpe ii, in quos viſio dirigitur, vel qui per viſum aliorum faſcinari aliterve affici creduntur, ipſius intuitus in ſe directi non ſint conſcii, nec adeò exinde ullo animi pathemate, vel apprehenſione ſeu imaginatione moveantur, (velut cùm infantes atque pecora creduntur viſu faſcinari,) utique prædicta ratio in talibus non obtinet.

17. Videntis verò ſive intuentis apprehenſio ac phantaſia, ſive animi affectus qui imaginationem ſequitur, in ipſamet objecta, ſive aliena corpora, nequaquam vires ullas exerit: quamvis Corn. Agripp. de Occult. Philoſ.

libr. 1.

libr. 1. cap. 65. ſtatuat, paſſiones animæ, quæ phantaſiam conſequuntur, cùm vehementiſſimæ ſunt, non ſolùm poſſe mutare corpus proprium, verùm etiam tranſcendere in operando ad corpus alienum, ita ut admirabiles quædam impreſſiones inde producantur in elementis, & rebus extrinſecus; atque etiam morbos quoſdam animi ſive corporis ſic poſſint auferre vel inferre; & animam fortiter elevatam, ac vehementi imaginatione accenſam, mutare ſanitatem vel ægritudinem, non ſolùm in corpore proprio, ſed etiam in corporibus alienis.

18. Ab omni, inquam, ratione illud alienum eſt: quandoquidem imaginatio eſt actio omnino immanens, quin imò, per ſe propriè cognoſcens aliqua facultas tantùm eſt, quæ ſe non magis extra proprium ſubjectum ullâ exerit ἐνεργείᾳ, quam ex alterius cognitione quiſpiam exerciatior vel doctior evadit.

19. In-

19. Interim dum passim multi rationum atque cogitationum vias sibi eligunt peculiares, quæ nec Naturæ nec Scripturæ Sacræ sunt conformes, atque sine ratione fraudibus diaboli ac superstitionibus assensum animi impertiunt; contingit passim, ut inducat Deus (quod est apud Jes. 66. ℣. 3. 4.) aut induci per Diabolum permittat, ea quæ formidant. Sicque quod timebat improbus, non raró ei evenit, ut est Prov. 10 ℣. 24. Quin &, quod superstitiosè amplectuntur illi, qui se superstitionibus devovent, id plerumque sibi evenire sentiunt: ac qui se putant posse visu vel prodesse vel nocere, justo Dei judicio, idipsum quod vecordi mente conceperunt inducente vel induci permittente, seu fallaci quam fraus diabolica immiscet experientiâ decepti, excæcantur.

20. Quod veró attinet Historias & Exempla quibus experientia videtur adstrui, ex simplici intuitu effectus

miros

miros colligens, vel utique hæc palpabiliter sunt superstitiosa atque nugatoria, vel fraude diabolicâ nituntur, vel omnino quæ in visionem simplicem refertur operatio, vi ἀποῤῥοίας alicujus, sive halitus seu exspirationis, vel occultæ sympatheias aut antipatheias, intus corpus ipsum aut humores commoventis, vel imaginationis facultate, suscitatæ in subjecto quod afficitur, ibique causam aliam internam excitantis, oboriri statuendum est. Sed de his videatur Delrio Disq. mag. lib. 1. cap. 3. q. 4 Sennert. lib. 6. pract. part. 9. aliique.

12. *Secundum genus* superstitiosarum sive diabolicarum læsionum ac sanationum *Verbis* diximus institui, nimirum, vel pronunciatis ore, vel conscriptis; quò & *Characteres* referendi sunt. Huc spectant *imprecationes*, *devotoriaque carmina* (ut Livius appellat) nec non *execrationes*, quas jam olim in usu fuisse apparet ex oratione Æschinis

nis contra Ctesiphontem, quibus non duntaxat sagæ atque Diabolicum id genus hominum, sed & mendici improbi interdum, quando ipsis quippiam negatum est, utuntur: qui eatenus omnino malo Dæmoni devoti sunt, vel per invidiam, vel odium, vel iram, aut malevolentiam, ut hujus opem contra alios implorent, dum per imprecationes vovent aliis, ut fame tota pereat familia, ut simili corripiantur morbo vel miseriâ eâdem crucientur, quam se experiri ajunt, vel portentis ac prodigiis horrendis tota domus infestetur, pecudes, vindemia, aut segetes, aliive fructus pereant, materfamilias iratâ pareat Junone, & similia: Ad quorum nutum Cacodæmon sæpe præstò est, qui exequatur talia, sicubi congrua reperiat subjecta, superstitiosa nempe, ac quæ magis terrefiunt imprecationibus insanis ac inanibus, quàm firmâ Deo ejusdemque providentiæ fiduciâ innixi sint.

21. Quin

22. Quinimò, non malevolorum solùm atque invidorum mala lingua aliis nocere posse creditur; sed & laudatio benevolorum atque amicorum hominum: Sic Plinius libr. 7. cap. 2. ex Isigono & Nymphodoro refert, in Africa familias quasdam esse effascinantium; quorum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes: Atque hinc Virgilius Eclog. 7.

Aut si ultra placitum laudârint, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Hinc & jam olim in usu fuit, cùm res aliqua laudatur, addere, Græcis quidem ἀβασκάντως, Latinis *Præfiscine* dixero, q. *præter fascinum*, seu ne fascineris. Atque ita mulierculis non modò, sed & cordatiori sexui passim usitatum observamus, ut, quando vel infantes vel bruta elegantia laudant, adjiciant, *Deus ipsum tueatur*: quod equidem

dem ut in se bonum est, ita omnino superstitionem involutam habet, dum credunt, rem ipsam quæ laudatur, laudatione fascinari atque lædi posse, nisi id ipsum addatur, ac illis verbis vim inesse à læsione præservandi.

23. Velut autem *verbis* ore prolatis induci morbos Cacodæmon misellis mortalibus persuadet; ita & *scriptis vocabulis*, signatisve *characteribus*, fucum facere consuevit, Deoque permittente patrare sua scelera: Exemplum ex Hieronymo refert Wierus de Præst. Dæmon. lib. 5. c. 3. Juvenis cujusdam, qui magicis artibus armatus puellam, quam flectere aliter non poterat, præ magnitudine amoris in furorem verterat, defossis sub limine domus tormentisquibusdam verborum ac portentosis figuris, in æris cyprii lamina sculptis. Imprimis verò per curationes morborum consimiles superstitiosis animis impostor illudit, incautosque per insidias commerciis secum implicat.

24. Cu-

24. Curationem utique, quæ verbis, etiam barbaris, aut nihil certi ex usu sonantibus, vel characteribus peragi credantur, infinita exempla passim sunt obvia: eaque complura collecta sunt à Johan. Wiero, de Præst. Dæm. libr. 5. cap. 8. & seqq. ac quorundam mentio facta à Franc. Valles. Philos. Sacr. capit. 3. quæ non referri satius est, quàm incautis temerè proponi: quamvis interim à nominatis Autoribus ceu illicita & impia sat superque sint refutata.

25. Sanè ἄλογον omnino est, vim ullam verbis, sive characteribus, ad inducendos morbos vel pellendos, attribuere: Sunt namque verba ex arbitrio humano rebus indita; eaque apud nationes varias diversa sunt: Quæ si in charta consignentur, utique figuræ tantùm sunt, sermonem animi repræsentantes: figurarum autem nulla sanè per se efficacia existit; quin & ejuscemodi figuræ ipsæ ab arbitrio humano sunt

sunt profectæ: Quòd si ore proferantur verba, sonus sunt, ex aëris fractione aut diverberatione genitus, auditus organum afficiens, ex instituto verò hominum eorum sensa animi, qui cognatâ utuntur linguâ, patefaciens: Interea non magis corpus reliquum seu constitutionem ejus, vel ad morbùm vel ad sanitatem immutandi facultatem habens, quàm auditum color, aut sapores visum valeant afficere. Et, si omnino sint inusitatæ voces, nulla alia vis ipsis poterit attribui, quàm quòd sint tesseræ Diaboli, per quas impostor ille generi humano multifariam illudit.

26. Harmoniâ quidem atque modulamine, seu cantu citharæ ac fidium, non raró melancholici mitescunt morbi, nempe quibus metus & mæstitia sunt indivisi comites: dum enim suavi modulamine exhilaratur animus (sic enim vinum atque musica lętitiam affundunt cordi, ut est apud Ecclesiast. cap. 40. ℣. 20.) ac pellitur mæstitia, ipseque

ipſeque animus à rerum terribilium conſideratione avocatur, utique natura ipſa, ſpiritusque eâ ratione excitati, contra morbum ejuſdemque cauſam obnituntur firmiùs, ipſamque ægritudinis ferociam compeſcunt: Ut adeò ad victus rationem hoc remedii genus referendum ſit, quâ ad hilaritatem ac jucunditatem comparatâ, ſolâ ſæpius id morbi genus, ſiquidem non admodùm inveteratum ſit, nec ſuccus ater plurimùm redundet, ſolet emendari, atque ſanitas reſtitui.

27. Quin imò, cùm in melancholicis hominibus ſua ludibria imprimis exercere ſoleat Diabolus, ut adeò melancholia balneum Diaboli conſueverit vocari, utique affectu illo triſtiore animi, ac horridis ſymptomatis, ab animi pathemate pendentibus, per dulce modulamen muſicamque temperatis, ipſimet inſultus Dæmonis percipiuntur leviores, (ut in Saulo 1. Regum cap. 16.) Certè, dum res phyſicæ ſeu

causæ naturales subtrahuntur Dæmoni, per quas, divino permittente Numine, inquietare atque infestare animos humanos solet, utique ipsius Dæmonis insultus cohibentur, ipsaque ἐνέργεια retunditur: Quo sensu rectè Avicen. lib. 3. Canon. fen. 1. tract. 4. cap. 18. *Quibusdam Medicorum visum est, quòd melancholia contingat à Dæmonio: sed nos non curamus, cùm physicam docemus, sive illa oriatur à Dæmonio, sive non, dum dicimus, quòd si vel à Dæmonio existat, utique convertat temperamentum ad nigredinem humorum, sitque ipsa nigredo humorum (seu ater succus,) causa melancholiæ proxima.*

28. Dum ergo cantu, modulamine, seu musicâ, vel item suavi conversatione, animi pathemata redduntur mitiora, utique eatenus melancholia imminuitur: At inde verbis certis, vel carminibus, in quantum illis animum pathematis mutandi virtus nulla est, nequaquam morbos inducendi vel

vel curandi ulla physica attribuenda est facultas. Velut & moralis ipsa animos curandi ratio, quæ & politicis fabellis, seu incantatione aliquâ morali, haud inconvenienter passim instituitur, nequaquam naturali vocum aut verborum efficaciæ est adscribenda, adeòque neutiquam in superstitiosam incantationem convertenda est.

29. Interea agnoscimus, non rarò vanos atque leves homines, qui superstitiosas incantationes amplectuntur, aliquid ex sua superstitione fructus consequi, quòd nempe evenire ipsis soleat id quod exspectant. Nempe, velut author libell. de Incantatione, qui inter Galeno adscriptos occurrit, apprimè rem explicat: *Quando mens humana rem amat aliquam, licet naturaliter non juvativam, sibi eam prodesse certificat: ex sola autem mentis intentione corpus res ipsa juvat: Verbi gratia, si quis incantationem sibi prodesse confidat, qualiscunque sit, eum tamen juvat.*

 30. Sed

30. Sed an non hoc est, Dei ac naturæ genuinis mediis neglectis, Deum sibi ex humanis vocibus nefandâ superstitione condere, qui tamen cùm reverà nullus sit, nec vires ullas habeat præterquam quas affingit illi animus humanus, juvet tamen facultate per ipsammet superstitionem illi attributâ? An non hac ratione homo ipse superstitione irretitus sibi Deus est? Ac interim Diabolo, qui sese superstitioni misceat, eamque foveat, effectum promovendo, impiè occasionem præbet?

31. Sed neque si invidia, vel odium, vel ira, aut malevolentia, vel imprecationes, vel econtrà studium, benevolentia, laudationes, atque comprecationes faustæ, verbis subsint, vel lædendi vel juvandi vires verba ipsa, vel quæ subsunt vota, obtinent. Nam quod affectus animi concernit, utique nequaquam extra proprium subjectum illi vires exerunt; & cùm vel maximè affectus sequiores animi in habitum

habitum degenerant, imprimis noxam illi inferunt, in cujus animo exurgunt ac foventur. Scilicet, hunc fructum denique consequitur, quicunque pravis agitatur animi affectibus, quem invido adscribit Ovid. 2. Metamorph.

Successus hominum carpitque, & carpitur unà,
Suppliciumque suum est.

Certè Vir sapiens invidiam mavult quàm misericordiam, secundùm antiquum illud κρέσσων φθόνος οἰκτιρμῶν,

32. Eadem planè ratio est affectuum benigniorum ac benevolorum; nisi quòd subinde ex benevolo affectu, seu faventi amicorum animo, benefica piaque sursum emittatur vota, aut felices fiant comprecationes atque benedictiones, quibus certè passim Deus ipse & auxilium divinum, precibus in cœlum missis, cœlitus adducitur: Sic verò votis ipsis atque comprecationibus seu benedictionibus, aut certis earundem formulis, nequaquam

ulla virtus physica tribuitur, quæ certè sine superstitione detestanda nequit tribui; sed omnis virtus & ἐνέργεια ad ipsum Deum referenda est, qui sese flecti & adduci per priorum vota sinit.

33. Cæterùm, contingit aliquando, ut per veneficia, vel insalubrem morbidamve constitutionem corporis, sub ipsismet laudationibus, communicentur morbida effluvia infantibus, vel rebus aliis, quæ cum sermone, seu prolatis verbis, è morboso corpore dimanent; maximè cùm ora oris corporum teneriorum accidunt viciniora: Quòd si verò aliâ quâcunque ratione læsio obtingat, ea utique non voci seu vocabulis, sed ipsimet Diabolo, ad ejuscemodi veneficorum tesseras, ex pacto colludenti, transcribenda est.

34. Sed neque *characteribus* vis ulla major inest quàm & vocabulis seu vocibus; Nam *characteres*, cùm omnino artifi-

artificiales notæ sint, meraque accidentia, per sese corpora humana, utpote quæ naturalia existant, immutare nequeunt: sed omnis vis agendi competit substantiis, sive per formam qualitatesque inde manantes, sive per materiæ modum, ἐνέργειαν suam exerentibus: ut adeò, si quæ substantiæ, sive collo alligatæ, sive corpori quocunque modo aliter appensæ, corpus alterent aut immutent, id utique non characteribus vel vocibus inscriptis vel insculptis, sed naturali facultati insitæ substantiis, vel fraudibus Diaboli, vel superstitioni impiæ, attribuendum sit.

35. Sed nunquid ergo vis *divinis verbis* aliqua videtur adstruenda? Nempe multi sunt, qui cùm asserere non ausint, vulgaribus verbis atque characteribus inesse ullam efficaciam, contendunt tamen, singularem vim *verborum divinorum* esse, atque majestatem, quâ non modò ægritudines sanen-

nentur, sed & ipsimet fugentur Dæmones, ac contremiscant. Hinc superstitiosus passim est abusus Dei nominis, ac speciatim nominis JESU: Hinc in Papatu salutatio Angelica, nec non dominica oratio, nunc ter, nunc quinquies, quin & quinquagies, vel pluries, quamvis sepositâ attentione omni, recitantur: Hinc Euangelii Johannis caput primum minusculis literis in scedula pictum, & missæ recitatione consecratum, si collo alligetur, mirum contra incantamenta, ac Diaboli machinamenta, nec non contra febres, &c. habetur amuletum. Alia id genus prætermitto.

36. Sanè, est vanissimus in talibus, tum Dei nominis, tum & Scripturæ Sacræ abusus: dumque nomina pro rebus ipsis obtruduntur, summa Deo atque rebus Sacris fit injuria. In nomine JESU quidem Dæmones ejiciuntur: At certè illi nomini simpliciter vis nulla inest; adeò, ut neque ipse Cacodæmon

mon ab illius nominis pronunciatione abhorruerit: Jesus ipse, inquam, qui Salvator generis humani est, id omne peragit, quod ejus nomini tribuimus. Quod autem *verba* attinet Scripturæ Sacræ, illa utique per se *divina* non sunt, utpote ex hominum arbitrio divinis rebus assignata, unde nec sunt eadem diversis nationibus: quæ adeò quà verba sunt, res ipsas denotantia, ab usu hominum profecta, utique nec physicè, nec hyperphysicè, vim ullam operandi habent.

37. De genuino Sacræ Scripturæ usu aliter Timotheum erudit Paulus 2. Tim. 3. itemque Romanos cap. 15. Quem genuinum usum suum præstat Dei verbum fide apprehensum in cordibus credentium, cooperante Spiritu Sanctô, qui per verbum efficax est, nequaquam verò, ut mentitur Cacodæmon, ab impiis Diaboli sectariis, vel superstitiosis nugatoribus, ore prolatum, aut inscriptum chartæ, atque

collo sive pectori appensum, aliam exercet operationem, quàm quæ ipsi est à Deo designata, ac quò ordinatum est.

38. Et sanè, quòd si verba textus Sacri, prolata ore, ejus esse efficaciæ credenda sunt, cur ter, vel sæpius, ad certum numerum, repetenda sunt? Et, si quæ chartula, Scripturæ Sacræ dicto aliquo vel loco insignita, atque corpori appensa, alicujus efficaciæ credenda est, vel ad pellendos morbos, vel fugandos Dæmones; an non majoris erunt efficaciæ ipsamet S. Biblia in eum finem ex professo vel in manibus vel manicis circumgestata? Vel, si cui in auribus non prodest sacra pagina, quotidie in cætu atque domi legi & audiri solita, quo modo prodesrit eidem circa collum alligata? Denique, si in figuris literarum vis ipsius Euangelii inesse est credenda, rectè collo atque pectori appenditur; at si in intellectu sensuum, & apprehensione

sione ipsa atque fide, rectiùs in pectore ac corde ipso positum juvandi vires obtinebit, quàm si collo alligatum sit.

39. Quòd si ergo sentiatur aliquis effectus subsequi, ad verba sacra vel pronunciata temerè, vel corpori appensa, utique hunc superstitionis esse consectarium, vel opus Dæmonis, certissimum habendum est: At hasce vires Cacodæmoni concedit Deus, ad probandos Christianos: Cæterùm impostor ipse promptè per id genus sacrilegia juvare solet, quò misellos homines seducat ampliùs, ac superstitiosâ animi credulitate sibi eos arctiùs obstringat.

40. Ad *tertium genus* fraudum diabolicarum, spectant *instrumenta* varia, superstitiosè vel impurâ arte magicâ conficta, *actionesque* atque *machinationes magicæ* complures. Hujus generis censenda sunt, περίαπτα, περιάμματα, ἀποτρόπαια, seu amuleta varia, malorum variorum, ut creduntur, aver-

runcatoria, in certam formam ac figuram ex materia quacunque conformata.

41. Huc item speciatim pertinent Periapta illa, *Agnus Dei* appellata in Papatu, quæ à Pontifice Romano consecrantur adversùs noxios Dæmones, & quascunque eorundem machinationes: Veluti constat ex libr. 1. de Ceremon. Romanæ Ecclesiæ sect. 7. cap. 3. (citante Wiero de Præst. Dæm. lib. 5. cap. 9.) ubi post consecrationem ejuscemodi Agni Dei, hæc subduntur: *Legimus Vrbanum quintum Pontificem maximum misisse ad Imperatorem Græcorum tres Agnos Dei, cum versibus infra scriptis:*

Balsamus & munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit, & omne malignum

Pecca-

Peccatum frangit, ut Christi sanguis & angit,
Prægnans servatur, simul & partus liberatur,
Dona refert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus mundè de fluctibus eripit undæ.

42. Ejusdem farinæ est, quòd, si per annulum nuptialem sponsus mingat, ab impotentia Veneris & fascino solvatur, autore Nicolao & Guilielmo Varignana, Medicis, & Petr. Argelata Chirurgo. Item, quòd, si amorem quis dissolvi velit, in amantis calceo stercore amatæ collocato odor præceptus amorem infringat: quamvis fortasse hujus rei ratio à manifesta qualitate possit colligi, ut ad occultam aliquam ἐνέργειαν confugere, non usque adeò sit opus.

43. Magna sanè est varietas id genus incantationum, ac ludibriorum diabolicorum; quæ vel simulachris sive

imagunculis, solemni ritu fabrefactis aut confictis, vel creatis rebus, plantis, animalibus, horumque partibus, metallis, certo tempore decerptis ac collectis, exercentur: accedente insuper ad illa instrumenta consecratione, sive execratione potiùs, quâ usui inepto, ludicro, quin imò superstitioso impioque destinantur; sæpenumerò adhibitis, vel ad exstructionem eorundem, seu ad apparatum, vel ad usum ipsum, sive sacris ipsius Dei oraculis, sive blasphemis dictionibus à Dæmone profectis, à quibus omnem facultatem ac ἐνέργειαν pendere opinantur: Interim Diabolo consentiente, colludente, atque admittente seu probante tales suas tesseras in hominum pernitiem, tandemque vel expediente ea quæ molitur superstitiosa vanitas, vel fascino præstigiisque passim iis quæ suscipiuntur consimilia fingente.

44. Frequens admodùm est illa incantationis species veneficis, qui certo anni

to anni tempore, vel certis noctibus vel horis, herbas ad certarum vocum recitationem evellendo colligunt, ea persuasione, quòd per ista verba, certis circumstantiis adhibitis, vires eas & ἐνέργειαν, quâ ipsis opus est, obtineant; quam & experientia, vi Dæmonis illata, passim comprobare solet: Iis itaque aut ad remedia utuntur; aut, cùm noxam moliuntur, cibo potuique hominum injiciunt, aut pecorum inspargunt pabulis: ubi mox Cacodæmon ipse, istiusmodi conatibus colludens, suas solet commiscere fraudes, ita ut armenta, pecora, vel homines, iisdem degustatis, vel attractis solo halitu, inficiantur, ac vel statim concidant & moriantur, vel paulatim atque lentâ morte consumantur.

45. Quin &, diabolica id genus organa, alicubi defossa, quà est transeundum, animantia mirificè vel lædere vel & perimere traduntur. Novimus pagos, inquit Peucerus, (mihi pag. 319.)

pag. 319.) in quibus multos annos illa quæ ingressa fuerunt & egressa armenta, perierunt: & non fuisse infecta pabula, vel illud certò indicabat, quòd vicinorum pecora, eodem usa pastu, nòxii nihil concepissent; sed fascinum fuisse defossum sub via publica, quâ armenta pastum agi consueverant, eventus postea ostendit, cùm eruto ac sublato fascino actus mutaretur.

46. Ad hoc genus præstigiarum diabolicarum jure merito referri possunt consecrationes olei, salis, aquæ, aliarumque rerum, in Papatu usitatæ: ne jam dicamus de confictis in opprobrium Christianæ religionis transubstantiationibus seu metamorphosibus absonis atque horrendis, quas, cùm reverà nullæ sint, fascinatæ ejusmodi præstigiis multitudini fallò persuadent divinas esse, ac, quasi factas virtute verbi & sacerdotis rasi, in Dei contumeliam, cum insigni abusu Verbi Divini,

vini, Dei nominis & invocationis, occæcatis animis obtrudunt.

47. Plurima exempla passim ejuscemodi præstigiarum extant: quorum aliquod ex variis autoribus collecta sunt apud Sennert. lib. 6. pract. part. 9. cap. 3. & 5. Wier. de Præst. Dæmon. lib. 5. cap. 11. At hisce omnibus cùm nec à Deo & natura, nec ab arte per naturam, virtus insit, quicquid est id genus organorum, actionum, machinationum, signa & sigilla sunt malorum Dæmonum, & quasi militares tesseræ ab illis constitutæ, quibus ipsi invitantur, atque advocantur tacitè, vi pacti, quod cultores eorundum primi, atque asseclæ malorum Dæmonum, cum hisce eorundem inventoribus approbatoribusve, circa hæc sigilla inierunt. Vel omnino, saltem superstitiosis istis ceremoniis, vel conjurationibus; aut figurationibus, (quas commodè Galenus noster nominat alicubi ληρώδεις μεταμορφώσεις *nugatorias transfor-*

transformationes,) ipsemet præstigiator animos incautos implicat, ac sibi propiùs obstringit. Ut non sine ratione Nazianzenus moneat, οὐδὲν δεῖ σοὶ περιαμμάτων καὶ ἐπασμάτων οἷς ὁ πονηρὸς συνεισέρχεται, *Non oportet te uti amuletis & incantationibus, quibus Diabolus unà surrepit.*

48. Ex pacto, inquam, passim, quod cum eo iniit Diabolus, qui primus impium ac superstitiosum aliquod ab ipso hausit artificium, ipsæmet superstitiosę actiones, atque organa conficta præter rationem, ceu reverà symbola ac tesseræ Diaboli, ad opem diabolicam ciendam atque advocandam comparatæ, colludente Cacodæmone, vim suam sortiuntur: Huic vero pacto passim implicantur nescientes & improvidi, qui magis superstitionibus indulgent, quàm fide atque rationibus divina Dei ac naturæ metiuntur opera: Ad signa verò à se semel constituta præsto solet esse Cacodæmon ope suâ,

non

non ut hominibus ſubſerviat, horumque nutibus obtemperet, ſed ut impietatem atque ſuperſtitionem foveat ſtabiliatque, atque ita hominem à creatore ſuo, mediiſque naturalibus à Deo ordinatis in ſalutem hominum, avertat, & ad ſe convertat: Ut adeò id genus machinationum diabolicarum ſint ipſius Cacodæmonis accipitres, quibus aucupia exercet humanarum animarum.

49. Quòd autem inſcii ſe queant implicare pactis talibus cum malo Dæmone, ſi rebus atque ceremoniis ab ipſo ordinatis imprudenter ſeſe miſceant, exemplis paſſim notum eſt. Refertque Smetius libr. 5. miſcell. ex relatione D. Nevii, & Civium Lipſienſium, puellam quandam non intelligentem quid ageret, dum nutricis actionem totam, quâ in ciendis tempeſtatibus ſæpius uſam viderat, imitaretur, tonitrua ac fulgura excitâſſe, quibus villa, haud procul à Lipſia diſſita,

sita, conflagrârit. Aliud exemplum refert Delrio Disquisit. Mag. libr. 2. q. 29. s. 1. juvenis cujusdam, Cornelii Agrippæ commensalis, qui, cùm nimis curiosus, absente hospite, impetratâ musæi clave contra monitum Agrippæ ab uxore, conjurationum aliquem librum volveret, Dæmonem illico præsentem sensit, interrogantem, cur vocatus esset? At territo ob metum juveni nec respondenti, fauces & spiritum interclusit.

50. Ita exactissimè, ac quasi studio adhitito, agnoscit Cacodæmon suas tesseras, statimqne quasi convocatus præsto est, si vel ignari rerum eas tractent, miscetq; sese ipsorummet actionibus; dumque ita suâ fraude se hominibus familiarem reddit, eosdemque consuetudine audaciores efficit, reverà eos arctiori fœdere sibi obstringit.

51. Equidem agnosco lubens, ipsasmet substantias, quas ad nocendum vel

vel juvandum adhibet prę{stigiatorDę-mon, dum vel venefici, vel ſuperſti-tioſi Dæmonis miniſtri, per modos il-legitimos iiſdem abutuntur, ſæpenu-merò virtutem naturalem in ſe obtine-re, quâ per ſe valeant ad ſimiles effe-ctus producendos, ſive operandi ra-tione manifeſtâ, ſive per συμπάθειαν vel ἀντιπάθειαν occultam: Verùm, quicquid illis rebus ſuperadditur irra-tionalis figurationis, compoſitionis, adjurationis, collocationis, atque ce-remoniarum aliarum, nec à Deo or-dinatarum, nec naturæ rerum con-gruentium, aut naturales earundem vires ullâ ratione concernentium, id cum Diabolo commercium intendit, atque ſuperſtitione ipſam facultatem rerum naturalem ſic contaminat, ut animis mortalium per ſuperſtitionem rebus conditis à Deo abutentium, pe-ſtifera evadat.

52. Nec verò quicquam eſt, quod proteſtentur aliqui, nequaquam ſibi quic-

quicquam esse cum Diabolo commercii, illius opem planè se respuere; non symbola Diaboli existimare, sed censere quædam Dei media abstrusiora, quæ humanum captum superent, id genus ceremoniarum, actionum, organorum, &c. quibus sanitatem studeant recuperare, aut depellere languores: Verùm, est inanis prorsum illa excusatio, dum mediis utuntur nec probatis in Scriptura, nec fundatis in Natura; adeò ut protestatio sit ipsi facto penitus contraria, dum quicquid sine Deo ac Natura est, sit prorsum à Diabolo.

53. Videtur equidem utcunque culpam eorundem imminuere ignorantia, quæ eos utique à pactis cum Dæmonibus explicitis excusat; Attamen hæc ipsa ignorantia, supina nimiùm, ipsissmet pactis Cacodæmonum, ad sua symbola ex pacto olim constituta attendentium, vel superstitioni suâ ope & concursu rationem aliquam fucatam

tam & occaſionem exhibentium, incautos atque ignorantes implicat, eoſque neceſſario periculo exponit. Certè diſcere debebant, vel omnino ſcire, ignorantes iſtiuſmodi, quidnam ſit Deo vel Naturæ congruum; aut ubi fortè ipſis intellectus deeſt, pios, probos, rerum divinarum atque naturalium conſultos Viros adhibere, quibus ſe ſuamque valetudinem committant; non verò agyrtarum & anicularum adhibendo opem temerariam, ſe fraudi diabolicæ cum incolumitatis ac ſalutis propriæ diſpenſio committere: vel certè debet pio ac cordato viro eſſe ſatius, hîc ferre ægritudines, pièque vitæ ultima diſcrimina ſubire; quàm ſanari illegitimè & impiè, & cum diſpendio ſalutis ſempiternæ vitam trahere.

54. Omnino autem impii habendi ſunt, ac veri Dei deſertores, qui dum apprimè norunt, verba, characteres, ſimulachra, atque univerſum iſtud genus

nus mediorum,quod hîc improbamus, nullam efficaciam habere, sed reverà symbola Diaboli, ejusque instrumenta esse; censent nihilominùs, licere à diabolo, præcipuè in morbis veneficio inductis, petere auxilium, quæ certè impia ipsius Paracelsi est sententia.

55. Sic enim docet ille libr. de occult. Philos. Si quis veneficiis sit læsus, esse fabricandum pedem, vel manum, vel aliud membrum, ad formam ejus quod ægrotat vel dolet,vel etiam imaginem totius corporis, atque illam esse inungendam atque obligandam: Si homo per incantationem, usum sermonis, visum, auditum, vel virilitatem amiserit, totius hominis imaginem è cera esse faciendam forti fide, & fixâ imaginatione, atque illam imaginem debito modo curandam esse. (Hujus furfuris est universa opliatria, tantoperè à plurimis decantata; at solidè refutata ab Andr. Libavio in tractatu de impostoria vulnerum per unguen-

guentum armarium ſanatione, Paracelſicis uſitata commendataque.)

56. Addit autem Paracelſus cit. lib. Medicum non omnia quæ ſcire debet, in Academiis diſcere poſſe, ſed opus eſſe ut interdum vetulas, Zigeunos, Nigromanticos, Agyrtas, ruſticos, ſenes, & ejuſmodi viles homines alios conſulat, & ab his diſcat. Plura enim, inquit, de talibus norunt, quàm omnes Academiæ. Idemque libr. de morb. inviſibil. aſſerit, Deum Magiâ Diabolum donâſſe, & valde peritum in luce naturæ poſuiſſe: Hanc autem ipſi eripi poſſe: artem uſurpandam, Diabolum relinquendum eſſe: ideoque nos in hoc mundo verſari, ut minor à majori diſcat. Ac ibid. inculcat, ſi per characteres aliquid boni in nobis fiat, eodem loco habendos eſſe eos, ac ſi plantæ eſſent; ac etiamſi Diaboli ſint, eodem loco id habendum eſſe, ac ſi eſſent pyxides è Pharmacopolio: Et ſi Diabolus verbum pro herba ſu-

mat, sit nobis, inquit, instar herbæ: Verba ejus species, characteres ejus composita & Syrupi sunt. Contenditque porrò, si Deum toto corde amemus, etiamsi Diabolus nobis offerat argentum, aurum, juvet nos, exhibeat nobis medicamenta, eripiat nos ex carcere, credendum esse hoc jussu Dei fieri.

57. Horrenda sanè hæc impietas est, quâ quis in tantum se Diabolo, humani generis hosti, atque homicidæ ab initio, concredit, ut in sui curam, medicam ab ipso opem & auxilium admittat: à quo certè nihil boni obtinere vel sperari potest, nisi cum majori animæ dispendio: An non hoc ipsum est, se facere Dæmoniorum socium? Et siquidem jubentur Christiani abstinere ab Idolothytis, sive iis quæ sunt consecrata falsis Diis; an commercium licebit ullum cum Diabolo habere? an hunc adhibere Medicum? vel an religione Christianâ salvâ, salvâ pace con-

conſcientiæ, libebit media arripere à malo Dæmone porrecta? Satiùs omnino eſt in Chriſto piè mori, quàm hac ope execrandâ convaleſcere: nec verò dubitandum eſt, quin ſplendiſſima quæ confert Dæmon beneficia, vulneribus ipſâque morte ſint nocentiora. Nullum ſanè ullibi exemplum Scriptura Sacra nobis ſuggerit benefactorum à Diabolo in homines collatorum, aut à piis ullibi admiſſæ ab eodem opis. Quod ſi morbus ſuperet naturæ vires, neque naturalibus remediis curarl queat, habet Deus utique myriades bonorum Angelorum, quibus, ubi vult, juvare poteſt; poteſt ipſe verbo ſolo atque nutu proprio curare. Ad hunc ſolum animus eſt dirigendus; & ſi vel occidat Dominus, in ipſum tamen unicum ſperandum eſt.

58. Non voluit videri Achazias Rex, 2. Reg. cap. 1. animum avertere à vero Deo, vel in mancipatum aut ſocietatem ſeſe tradere Diabolo, cùm

mitteret legatos ad Baalzebulum, Accaronitarum Deum vel Idolum potiùs, consultum circa suam valetudinem: nam virum Dei utique, Eliam, est reveritus, identidemque misit ad eundem rogatum ut descenderet: Veruntamen dum ad illicitum & impium hoc medium se contulit, licet probatum usu procul dubio, ac in similibus occasionibus ab aliis non sine certitudine receptum, verum Deum judicatus est deseruisse atque abnegâsse; atque hanc divinam vocem audiit: Nunquid quia non est Deus in Israële ad consulendum verbum ejus, misisti nuncios consultum Baalzebulum, Deum Hekronis? Idcirco de lecto, in quem adscendisti, non descendes, sed moriendo morieris.

59. *Quartum genus* præstigiarum diabolicarum *tactu* sive *contrectatione* peragitur. Ita Bapt. Condronchius tract. de morb. venefic. mentionem facit vetulæ, quæ mulieris Nobilis ventri blan-

diens

diens manum admovit, quo contactu alterata fœmina nobilis, fœtus motum insuetum statim sensit, & postea fœtum in frusta comminutum, summo cum vitæ discrimine ejecit. Similiter mentionem facit idem Codronch. alterius vetulæ veneficæ, quæ cùm manu ventrem puerperæ tetigisset, puerpera sex mensibus peractis gravissimos cruciatus circa ventrem inferiorem sentire cœpit, tandemque cùm alvum excernere vellet, spinas, ossa, ligni frustula, & multa alia, per ventrem inferiorem rejecit, & à torminibus liberata est.

60. De Pyrrho Rege refert Plinius N. N. lib. 7. cap. 2. quòd tactu pollicis in dextro pede lienosis mederetur: quod utique vel cum Anton. Mirandulano mendaciis incredibilibus annumeramus, vel cum Delrio fraudibus diabolicis. Huc spectat ars illa vulgo dicta D. Anselmi (vel potiùs Magi illius Anselmi Parmensis,) quâ mili-

tes solo afflatu, osculo, vel nudi lintei applicatione, etiam atrocissima vulnera sanant. Itemque huc referendum superstitiosum illud curationis genus, quo creduntur in Flandria sanari febres ab iis, qui nati sunt ipso die Parasceves, quique nullo fœmineo fœtu intercedente septimi masculi legitimo thoro sunt prognati. Similiaque alia ejusdem furfuris: de quibus vid. Delrio disq. mag. libr. 1. cap. 3. q. 4.

61. Dubito verò, an non item ad superstitionum ludibria referri debeat, id quod Regibus Galliarum ajunt familiare esse, strumis seu scrofulis mederi, vel sputi illitione, vel absque hac solo contactu: Velut item Regibus Angliæ hoc donum solo contactu strumas sanandi competere, meritis D. Eduardi Regis, scribit Polyd. Virg. libr. 8. Histor. Angl. Guil. Tockerus in libro, cui titulus, Charisma seu donum sanationis, Elisabetham tunc temporis in Anglia regnantem eo charis-

mate

mate præditam tradit; insuperque asserit donum illud Regibus Angliæ jam usque ab ipso Lucio competiisse; Reges autem Franciæ idem per quandam propaginem ab Angliæ Regibus accepisse. Aliii illam virtutem à Clodoveo primo Galliæ Rege profectam volunt, atque inde ad successores per traducem, nullo respectu familiæ habito, translatum. Videantur de his Sennert. libr. 2. pract. part. 1. cap. 25. Peucerus de Divin. cap. de Incant. Delrio disq. mag. libr. 1. cap. 3. q. 4. Itemque Tagault. Institut. Chirurg. lib. 1. cap. 13. qui velut utrisque item, tum Franciæ tum Angliæ Regibus, hoc immortale munus, jure hæreditario ad posteriores Reges dimanans, attribuit; ita Angliæ Regem etiam suo tempore, tactu, ac quibusdam hymnis, non sine ceremoniis priùs recitatis, strumosos sanare asserit.

62. Certè, nisi hoc peculiare aliquod atque supernaturale Dei donum

sit, quod fortè suis unctis Deus largiatur, vel potiùs fortasse vis potissima sit tribuenda medicamentis, jussu Regis adhiberi solitis, vanissima profectò atque superstitiosa hæc curandi ratio habenda est. Nequaquam sanè subest ulla naturalis vis, quâ istiusmodi ἐνέϱγεια ab illis Regibus procedat: ita enim non per traducem hæreditariam regni ea in ipsummet regem solum dimanaret, fratribus exclusis cæteris, qui fortè sæpius parenti quoad constitutionem corporis temperiemve sunt similiores; multòque minùs ex familia transiret in familiam, deficiente prole.

63. Consimilis huic traduci occurrit planè superstitiosa alia apud Wier. de Præstig. Dæmon libr. 5. cap. 8. ubi refert, se non infimæ sortis nobilem cognovisse, qui contra venenum canis rabidi particulæ pomi inscribebat, *Hax pax max Deus adimax* (per ignorantiam Linguæ Latinæ vocibus corruptis, mutatisque literis, cùm fortè in sche-

in ſchedula germanica repertum fuiſſet remedium, *Hoc † po † mo † Deus adjuva †* ubi ſigna Crucis interpoſita pro literis X fuêre arrepta) eamque particulam comedendam porrigebat: Ne vero ſuperſtitioni juſtum deeſſet pondus, ad maximum natu ex ſobole, velut jure hæreditario propagari eam curationis efficaciam, nec ad alios poſſe derivari, temerè credulis perſuaſum erat.

64. Sed ut revertamur ad contactus efficaciam: Quamvis non negemus per contactum rerum phyſicarum varios effectus aliis corporibus induci poſſe, morbos excitari, ſcabiem, luem veneream, peſtem, &c. venena multifariam communicari; quin & corrigi utcunque vacillantem diſpoſitionem, ac ſanari ægritudines: ſtatuimus tamen iſtiuſmodi ἐνέργειαν prodire à corporibus, vel per effluvia, ſeu naturalia ſeu adſcititia, vel per quamcunque naturalem ἀντιπάθειαν συμπάθειαν-

ve, convenientem certæ rerum speciei, atque obtinentem ad determinatas species respectum naturalem. Ita magnes trahit ferrum; ac torpedo sarissâ icta tenentis manui ac universo corpori stuporem traditur inducere; similiter puella illa napello enutrita, atque Alexandro Magno ad perdendum eum dono missa, cujus contactus ipsi, si consuesset, judice Aristotele, lethalis extitisset. Aliaque id genus infinita occurrunt.

65. At si citra ejusmodi effluvia qualiacunque, ac proprietates naturales, vel læsiones vel sanationes oriantur per contactum, utique eas magicas esse, ac diaboli virtute peragi, asserimus: unde nec omnibus promiscuè contactus ille vel obesse vel prodesse aptus est, nec unum eundemque obtinet ad omnes respectum; ita ut vel læsionem vel juvamen aliquod intendat, vel sit adiaphorus, prout venefi- [illegible] sunt, dum huic malè huic

bene

bene cupiunt, vel neutro modo erga hos vel illos sese habeat.

66. Absurda autem & inepta est omnino Pomponatis sententia; quâ libr. de Incant. cap. 3. existimat, velut in herbis, lapidibus, & animantibus, inveniuntur virtutes sanandi; ita nihil repugnare, quin & in tota humana specie similes vires inveniantur, ut in uno homine sit virtus talis lapidis, in alio hujusce plantæ, &c. quod ergo planta hæc vel lapis ille potest, idem quoque hunc vel illum hominem naturæ vi producere valere.

67. Equidem, quòd lapides, vel animantia, vel herbæ certæ, naturalem facultatem nactæ sint, quâ v. g. homini, vel huic simul atque aliis quibusdam specibus animantium, prodesse aut nocere valeant, eam omnino habent ratione propriæ substantiæ ac qualitatum seu proprietatum toti speciei congruentium: ac inde fit quòd omnis magnes vim trahendi ferrum,

omne rhabarbarum purgandi bilem, ac cicuta omnis humano generi nocendi vires habeat: Similiter ergo omnes homines eâdem naturali vi pollerent: Vel, si in genere humano uni individuo quid per naturam competat, quod non similiter attribuendum alteri, cur non & in magnete, in rhabarbaro, cicuta, aliisque, similis diversitas existit, ut fortasse unus magnes naturalem habeat virtutem, quæ in alio non insit? ac in cæteris similiter: quin &, cur non hic magnes attrahendi ferrum, ille potiùs purgandi bilem, ut rhabarbarum, ille cicutæ instar deleteriam virtutem obtinet? Ac certè, cùm rhabarbarum vim habeat purgandi bilem per substantiam, quam sibi obtinet peculiarem, atque propriam naturam; ea verò diversissima sit à substantia humana ac natura propria humano generi concessa; utique non potest similis facultas homini competere, quæ competit rhabarba-

ro: ac ſic de cæteris. Multòque minùs homo poterit per ſimplicem contactum diverſiſſimas ἐνέργειας in obvia ſubjecta exercere.

68. Concludimus ergo, quicquid eſt ejuſmodi μαγγανειῶν (ut alicubi Galenus vocat,) hoc eſt, *præſtigioſorum machinamentorum*, ſeu *impoſturarum*, illud penitus repudiandum eſſe; ac omnino agnoſcendum, univerſum illud genus οὐδένα λόγον ἰατρικὸν ἔχειν (ut verba iterum adhibeam Galeni,) *nullam*, inquam, *rationem artis medicæ habere*, cùm nec Deum nec Naturam habeant autorem, adeòque neque ex Scriptura, neque ex Natura hauriantur. Unde Hippocr. libr. de morb. ſacro eos, qui ad morbos curandos expiationibus & incantationibus, hoc eſt, verbis, characteribus, geſticulationibus, ceremoniis, periaptis quarundam rerum nullam ex natura ſua facultatem obtinentibus, ſeu figurationibus, aliiſque ſuperſtitioſis atque

diabolicis machinamentis variis, utuntur, dum se interim valde pios esse, plurimumque scire simulant, atque ad Deos ipsos morbos referunt, *ἀγύρτας*, *μάγους*, & *ἀλαζόνας*, *circumforaneos*, *magos*, & *arrogantes ostentatores*, appellat. Similiter Plato 2. de Republ. *ἀγύρτας καὶ μάντεις circulatoros* & *vates* vocat, ac verè pro nugatoribus ac ludicrorum figmentorum autoribus habet eos, qui persuadent aliis penes se esse vim quandam, quæ Deorum numine sibi tribuatur, sacrificiorum & incantationum ritibus expiandi scelera, vindictam ab hoste sumendi, ipsosque Deos ad se alliciendi & demerendi incantationibus & vinculis quibusdam, ut sibi obsequantur. Tanto utique saniores atque sapientiores fuerunt antiqui illi Ethnici multis modernis Christianum nomen profitentibus!

SECTIO SECUNDA DE MORBO MAN-SLACHT, VULGO DICTO:

Ejusque Curatione.

69. HIsce in genere contra Superstitiosas Morborum Geneses, & impostorias seu Diabolicas earundem Curationes definitis, dubium fortè occurrit, quid sentiendum de Morbo illo, qui in Frisia nostra, ac Westphaliæ tractu vicino, frequens oriri traditur, vulgo dictus *Man-slacht vel Man-slachtigheyt*, q. dicatur ἀνδροφονοδηνία (si ita loqui fas sit) seu *affectus homicidium repræsentans*; vel *ex homicida repræsentatione inductus*, vel *perculsio ex homicidæ præ-*

da præsentia aborta; Eo autem affectu qui correptus est, *Man-slachtigh*, q. *ἀνδροφονώδης*, vel potiùs *homicidii ἐνεργείᾳ perculsus*, appellari consuevit: De hujus ergo *morbi essentia*, *ortu*, ac *curationis ratione*, paucis porrò disquiremus.

70. *Essentiam* ipsam illius *affectus præter naturalis* quod attinet, Recepta non Vulgi tantùm, sed & cordatiorum Virorum est persuasio, per ipsam experientiam, ut ajunt, confirmata, ad intuitum vel transitum alicujus homicidæ subitò passim percelli homines, ipsaque bruta, præsertim equos, vaccas, &c. ut sensus ac mens ipsa, seu in brutis æstimativa facultas, planè conturbetur, ipsaque animantia ceu diris infestata concidant; vehemens oboriatur anxietas, ac inordinata corporis vibratio, membrorumque insolita agitatio & inquietudo, aliaque horrenda perturbationum symptomata ocyùs exurgant: Quæ omnia præcaveri ajunt, si modò homicida manè preces

preces atque vota fuderit ad Deum quibus ne peccatum ſuum ex patrata cæde aliis in læſionem cedat, deprecetur.

71. Solvi autem denuò affectum hunc jam excitatum ajunt, atque è veſtigio ceſſare malum, ſi particula panis, reſecta cultro, quo fortè olim aliquando homicidium patratum fuit, devoranda homini perculſo beſtiæve offeratur, vel bibenda detur cereviſia, vel aqua, potuſve alius, in quibus talis culter, ſive gladius, quo cædes aliquando ſit commiſſa, fuerit agitatus, vel ſi hauſtus ab ipſomet homicida, ad cujus præſentiam perculſio oborta, afflicto propinetur, vel ſi ex homicidæ calceo perculſus homo bibat.

72. Ex deſcriptione ergo ipſa hic *affectus* non tam morbus propriè, quàm cauſæ violentæ *ſymptoma*, *in læſis functionibus*, ſeu *variorum* potiùs *ſymptomatum concurſus*, videtur eſſe, à quacunque tandem cauſa, ſpiritus animumque infeſtante, ac conturbante humores,

res, exurgens: Morbus enim propriè dictus, seu corporis totius, partiumve plurimarum ac precipuarum dispositio præter naturalis, tantoperè functiones præcipuas pervertens, nequaquam ita subitò emendaretur, ut intra momentum homo vel brutum animans sibi restitutum deprehenderetur.

73. Quod verò *causam* ipsam attinet, tum *læsionis*, tum *curationis* circa eam magis ardua fortassis difficultas est: Vel enim ea *ex natura rerum* arcescenda est, vel est *divina* statuenda, vel est *diabolica*.

74. Ac primò, quod ad *læsionem* ipsam, sive *mali ortum* spectat: Si quidem hujus *naturalis* aliqua *causa* credenda sit, vel ea *penes homicidam* est, vel *penes eum qui afficitur*: Si *penes homicidam*, ille utique vel *ex arbitrio* malum infert, vel *ex necessitate* quadam, sive *necessario influxu* qualicunque.

75. Si *ex arbitrio*, novit utique se lædere; ac insuper, quâ facultate, ac quo

quo modo lædat, ipſe novit: Verùm neutrum obtinere creditur; nec enim culpa homicidæ,ceu volenti ac ſcienti, circa hujus mali ortum ulla imputatur; nec verò pro venefico habetur, nec pœnam ullam quoad hunc effectum uſquam luit.

76. Tum &, incertum eſt quâ ratione ſe voluntas homicidæ exerat in diſtans: Utique *intuitus* ipſius homicidæ in objectum, ſeu in eum qui afficitur ac læditur, nil agit, ſecundùm ea quæ jam antè demonſtrata ſunt; *imaginatio* quoque actio eſt immanens, nec ultra ſuum proprium ſubjectum ſeſe exerit, ut itidem ex præcedentibus eſt manifeſtum.

77. *Influxus neceſſarius* quiſnam hîc locum habeat, vel quo modo, humanâ mente concipi non poteſt: Unde enim talis aliqua facultas naturalis,unde influentia promanet, potuit in homicida oboriri? Homicidium ſeu cædes utique non Phyſicè ſed Ethicè mutavit

tavit homicidam: At animi pathemata, quæ fortè homicidium sequuntur, nempe mæror, pænitentia, melancholia, aut imaginatio quæcunque fixa, non magis venenatam qualitatem excitant in homicida, quâ lędantur obvia subjecta, quàm consimiles affectus in subjectis aliis se passum exerentes ex quacunque causa alia, consimilem qualitatem, quæ in distans tantâ efficaciâ se exerat, producere deprehenduntur.

78. Ac quæcunque tandem, aut quocunque modo physica mutatio per homicidium vel inde subsequentes animi affectus in ipsius homicidæ corpore oborta confingatur, ea utique plus damni, vel ægritudinis, seu læsionis, per influxum aliis corporibus inferre nequit, quàm in corpore ipsius homicidæ deprehenditur: Cur ergo ipse homicida non continuè vel frequentiùs consimili affectu aliquo laborat? vel cur saltem venenatæ aut malignæ qualitatis in ipsius corpore indicia se nulla pro-

la produnt? Quam certè valdè esse noxiam necesse foret, cum in distans tantâ sese efficaciâ exerere credatur. Ac interim oportet sanè valde efficaces esse preces homicidæ, quæ ad Deum manè fusæ derepente qualitatem illam venenatam vel retundant vel coërceant, quò minùs in quæcunque obvia objecta naturali modo operetur. Ne nunc quæram, quânam qualitate ergo vires homicida habeat sanandi malum, dummodò præbibat, aut ex ejus calceo bibendum præbeatur ægro.

79. Tum &, quâ ἀπορείᾳ quæso illa qualitas fictitia ab homicida ita efficaciter in obvia objecta se diffundit? quo modo migrat accidens? vel cujusnam substantiæ, cui inhærescat, beneficio communicatur? quomodo suscipitur à læso? Denique, quæcunque tandem qualitas emanativa promanare creditur ab homicida, ac transfundi in objecta, cur non eadem promiscuè objecta quævis obvia, similiter dispo-

diſpoſita, infeſtat? cur non quotidie complures ad præſentiam homicidarum percelluntur, ſeu corripiuntur? cur non imprimis infeſtantur ipſiuſmet homicidæ vel cognati vel propinqui, conjux, liberi, vel alii, quibus utique faciliùs vel per contactum, vel per halitum, communicari poſſet qualitas? Cur non alibi, in Gallia, Hiſpania, Germania ſuperiore, quin imò in Hollandia vicina, Clivia, &c. ubi non minùs homicidæ ſunt, hoc morbi genus æquè obtinet? at ubi interim vel ipſum nomen ignoratur.

80. Similiter, nec *penes eum qui corripitur hoc malo*, cauſa ejus ulla poteſt concipi. Quæcunque enim illa ſtatuatur aut fingatur, quo modo communicat cum homicida, ut ad præſentiam hujuſce vel contuitum exurgat ocyùs in actum? quid eſt quod ipſam concitet? cur non abſente homicidâ æquè ac præſente ſeſe exerit? ſiquidem nihil cauſæ ipſimet ineſſe homicidæ demonſtra-

ſtratum eſt? quæ ratio quòd in aliquibus duntaxat, vel hominibus, vel brutis, oriatur; non in omnibus, vel ſaltem plurimis, ad quos indifferenter ſeſe præſens homicida habet?

81. An hic *imaginatio illius qui afficitur* in cauſam convocanda eſt; Veruntamen imaginatio per ſe, quà rerum perceptarum eſt in anima repræſentatio, nequaquam corpus ipſummet realiter immutat, neque rationem cauſę obtinere poteſt, à qua tanta ac tam vehementia ſymptomata proveniant; quà verò eſt occaſio, quòd animæ virtute ſpiritus humoreſque concitentur in corporibus, haud ſemper unum eundemque, ac ignotum peregrinis regionibus affectum, ſeu ſymptomata ſuperiùs deſcripta, inducendi vires obtinet. Profectò terror ſive conſternatio concepta ex re una eademque, non eodem modo afficit quoſcunque, qui terrore circa eam percelluntur: Cùmque terror & imaginatio ſint cauſæ procatarcticæ,

nequa-

nequaquam ad ejuſmodi effectum per ſe ordinatæ ſeu proportionatæ, aliam omnino cauſam in ipſius læſi corpore latere foret neceſſarium, quæ terrore ſive conſternatione, vel imaginatione, ſuſcitetur & in actum ſeſe exerat.

82. Contingit equidem, ut tempore univerſalis alicujus peſtis, alteriuſve morbi epidemici, per conſternationem, metum, aut terrorem, paſſim homines corripiantur morbo, ubi & ad morbum eos cernimus procliviores, qui ſunt maximè meticuloſi: Verùm hoc exinde oritur, quòd venenum peſtilentiale ſive virus aliud quodcunque epidemicum, per aëra paſſim ſparſum, ipſiſmet corporibus, jam ante animi pathemata oborta, ſit communicatum: quod tunc promptiùs in actum ſeſe exerit, ipſumque morbum generat, ubi facultas naturalis vitaliſque non ſufficienter ampliùs reſiſtit, per terrorem, metum, alioſve animi affectus enervata, ac ſeu ab aëre communicata,

ta, in præsenti nostro malo nulla potest concipi.

83. Quòd si quis tamen statuat, endemiam fortasse quandam mali causam, aut quamcunque aliam, interioribus communicatam partibus, confingi posse aut debere, quæ imaginatione, vel terrore, aliove animi pathemate, conspecto homicidâ, suscitetur, seque exerat: quî, quæso, fit, quòd ii etiam, qui non noverunt homicidam, quique homicidium patratum esse olim ab eodem nesciunt, ac adeò quos circa homicidam seu ipsius homicidium nequaquam ulla phantasia torquet, neque terror ullus sive consternatio exagitat, perculsione mali passim nihilominùs corripiantur? Quin imò, cùm & bruta ipsa (vaccæ, equi, &c.) eodem malo percelluntur, an quæ in iisdem etiam imaginatio, vel terror circa homicidam, quem quandoque non viderunt antè, vel ex homicidio, quod tamen nesciunt, ac ne-

nequeunt dijudicare, phantaſma formatum cauſa mali erit judicandum?

84. Hæc quidem omnia cùm ſint omnino abſona, ac penitus à ſana ratione aliena, utique *in naturalibus nequaquam ullam hujus mali cauſam eſſe*, ſtatuendum eſt. Sed neque *cauſa aliqua divina* ſubeſt: Deus enim quicquid ordinario producit atque operatur modo, id exequitur *per cauſas naturales*, utpote qui ipſammet naturam ſibi ordinariam miniſtram conſtituit, ſubordinatam ſuæ providentiæ; quæ verò operatur Deus modo extraordinario, hæc vel *per Angelos*, vel aliter quomodocunque *per miraculum* producit.

85. *Per bonos* quidem *Angelos*, divino juſſu, ad conſpectum homicidæ, hæc ſymptomata induci, alienum eſt ab omni ratione: unde idem nec à quopiam prætenditur; nec ipſamet curandi ratio ſuperiùs propoſita, quâ ſolent uti, huic cauſæ evertendæ ſatisfaceret. Sed & *miraculoſa* cujuſcunque *operationis*

rationis in hoc caſu, nec Scriptura ullum argumentum profert, nec humana ratio auderet fingere: eſt namque planè temeraria, quin imò nimiùm profana atque impia aſſertio, qua convocetur Deus ipſe, ubi modò homicida præſens eſt, ad iſtiuſmodi miraculoſas operationes, ſeu effectus ſupernatules; quibus tum hominibus tum brutis, ſine ulla naturali cauſa, morbi atque gravia tormenta inducantur: quibus iterum curandis ſolus Deus, per miraculoſam operationem aliquam collatam vel inhibitam, ſit deſtinandus.

86. Cùm ergo neque *naturalis* hujus mali ulla *cauſſa* ſit, neque *divina*; reſtat *diabolicâ virtute* ejuſcemodi effectum excitari: Nempe ſunt hæ machinationes ac molimina ipſius Satanæ, per quæ ad ſuperſtitionem credulos abducat: Aut, ſi fortè piis etiam, & alienis penitus ab omni ſuperſtitione, vel in propriis corporibus, vel in jumentis ſeu armentis ac pecoribus, quid tale, Deo

permittente, accidat, (ut circa Jobum atque ejus facultates, Dæmoni poteſtas magna data eſt à Deo ſummo,) illud ſanè ad probandam ac certificandam fidem horum ac conſtantiam permitti, ratum penitus habendum eſt.

87. *Curationem* iterum quod attinet: Hæc rurſum vel eſt *naturalis*, vel eſt *ſupernaturalis* ſeu *divina*, vel *ſuperſtitioſa* atque *diabolica*. Si *naturalis* ſit curatio, *vis* ipſa, quâ curatio peragitur, vel eſt *nativa organo* (nimirum gladio, vel cultro, &c.) vel *communicata eſt ab homicida*, vel *ab eo qui occiſus* eſt, ſeu *ejus ſanguine*, vel proficiſcitur *à cæde ipſa*.

88. Si *organo nativa* ſit *vis curativa* utique hæc illi competet vel *ratione* propriæ *materiæ*; vel *ratione formæ* ſeu *figuræ*: ac *figuræ* quidem *ratione*, ſive in abſtracto, ſive in concreto, ſeu quà eſt materiæ conciliata talis forma, hoc eſt, ratione *ſubſtantiæ ita figuratæ*. Si *ratione materiæ*, ſeu *ſubſtantiæ*, v. g. quà ferrum eſt, vel chalybs, &c. omni materiæ tali ea-

ſi eadem vis inerit, idque ubivis & ſemper, cùm ſit ubivis atque ſemper eadem ſubſtantia & natura; nec opus eſt ad illud organum, quo aliquando homicidium patratum ſit, confugere.

89. Si *ratione formæ* ſeu *figuræ* virtus organo ſit adſcribenda, (præterquam quòd non ſoleat haberi certæ ratio figuræ, cùm & promiſcuè culter, pugio, gladius, &c. in uſum ac curationem admittatur,) utique *figura in abſtracto* nulla efficacia eſt, cùm accidentia, vel potiùs ſubſtantiarum modi, nihil agant, niſi vi ſubſtantiæ illius cui inſunt; *figura in concreto*, ſeu *ſubſtantia ſic figurata*, rationem inſtrumentalem quâ ſecat, findit, perforat, contundit, ac omnino conſtitionem naturalem quomodocunque evertit, adeòque quâ infertur morbus, aut patratur homicidium, non excedit: Verùm eâ ratione lædit potiùs quàm ſanat.

90. Et, ſi *à materia* ita *formata* ſive *figurata* proficiſcitur ſanatio, cur non

cuivis organo ex eadem materia similiter formato eadem vis inest? Aut, quidnam pani, aquæ, aliive rei simili, quæ ægro vel edenda vel bibenda offeratur, à tali organo communicatur? quid *ratione materiæ*, quod non à simili materia iisdem æquè valeat communicari? ut adeò necessum non sit superstiosè ad ipsummet organum, quo homicidium patratum sit, confugere: quid *ratione formæ* seu *figuræ* creditur transfundi, quod sanandi vires habeat, cùm nulla sit figuræ efficacia? quid denique *substantia sic figurata* confert, quod neque à materia neque à figura conferatur?

91. Fortè ergo *virtus organo ab homicida* est *communicata*. Sed quid ergo illud quod transiit ab homicida, quod in organum receptum est, quod illic certæ facultatis rationem habeat? An aliqua *substantia?* At quænam homicidæ inest propria substantia, quæ aliis hominibus non competat? & unde illa est subnata?

nata? Certè neutiquam vi homicidii producta est; ut nec de novo condita; Sed neque *naturalis* ulla *qualitas*, quæ aliis non competat, in homicida potest concipi; moralis quippe tantùm facta est mutatio: quin &, quî qualitas translata sit in organum mens hominum non capit.

92. Præterea, si virtus ulla, quam non capiat fortasse mens humana, sit in organum transgressa, ac ibidem hæreat in longos annos, quò nimirum hominum memoria, vel post defunctum pridem homicidam, se extendit, (semper enim organo, quo semel homicidium patratum est, vis illa creditur inesse,) unde nam illa homicidæ obtigit? unde subnata est? Ex cæde ipsa non profectam esse, postea liquebit. Sed neque ex relatione, quam ad cęsum homicida habet, ulla oritur activitas. Et si quæ virtus, undecunque orta, potuit communicari organo ab homicida, utique imprimis illa inhæ-

rebit ipsi homicidæ, dum superstes est: ut inde fortè evenire sit credendum, quòd dum laboranti homicida haustulum propinat, per evaporationem halitumve poculo vel potui tributâ facultate, succurratur ipsi ægro: quin &, exinde rationem fortè superstitio inveniet, cur si ex homicidæ calceo bibatur, malum ocyùs sanetur.

93. Verùm, quid ni ergo vestibus ipsius homicidæ reliquis, ipsique corpori vicinioribus, vis illa potiùs quàm calceis inhæret? vel omnino potiùs quàm organo quo homicidium commissum est, ut adeò decerptæ ipsarummet vestium particulæ ejusdem vel majoris sint cum organo patratæ cædis pretii habendæ, ac valoris potioris: Quin &, quid ni in ipsis homicidæ excrementis, unguibus, capillis, &c. vis illa potiori jure inerit? quæ adeò ut singularis medicina potiori jure asservanda sint.

94. Præ-

94. Præterea, si virtus proficiscitur ab homicida, unde organo communicetur, utique hæc ipsa vel duntaxat eo tempore ab eo proficiscitur, cùm homicidium committitur, vel item tempore quocunque subsequente: Quòd si duntaxat eo tempore, quo est patratum homicidium, quî fit quòd calceus qui multis annis pòst confectus est, eandem facultatem consequatur, nempe, ut si modò ex eodem hauriatur potus, sanet æquè atque ipsum instrumentum cædis? Quî fit quòd quovis tempore prodesse queat homicida propinando, At, quòd si virtus etiam quocunque subsequente tempore ab homicida profluit, cur non similiter quibusvis rebus aliis, quas manu tractat homicida, eadem facultas æquè atque cædis organo communicatur.

95. Quin imò, quid ni ipse homicida potiùs per solam impositionem manuum curabit malum, quàm vi translatiâ in organum, in calceos, in ve-

ſtes? non ſecus ac contactu Reges Galliarum ſtrumas atque ſcropulos curare ſtatuuntur? Ut fortaſſe homicidæ meritis hoc χάρισμα à Deo contributum ſit, in præmium patratæ cædis: quod horrendum ſanè cogitatu eſt, aſſertu verò impium. Ac interim, quî ergo nocet homicida tranſitu intuituve, ſalutari adeò virtute præditus.

96. Vel quæro, an ſit una eademque virtus, quâ homicida læſionem ſimul ac ſanationem creditur inferre, vel an ſit utraque diverſa? Si una eademque, quonam modo hæc contrarios effectus edit? Si diverſæ facultates ſunt; diverſas utique ac qualitatibus contrarias ſubſtantias hæ præſupponunt, cùm accidentia non niſi vi ſubſtantiarum quibus inſunt, agant: At ſanè captum omnem ſuperat, quî homicida, eo ipſo quòd ſit homicida, præ aliis humanæ ſpeciei individuis hac geminâ donatus ſit ſubſtantiâ, tam diſſitâ virtutibus? quâ naturali efficaciâ,

ciâ, vel unde, utraque, vel una aliqua, in homicida sit subnata?

97. Denique, cùm non determinatè idem organum, quo homicidium patravit ipsemet, ad cujus fortè transitum intuitumve, accidit perculsio, seu malum de quo agimus, pro restitutione sanitatis requiratur, sed promiscuè sufficiat quodcunque organum, seu culter quivis, quo jam olim homicidium commissum est, hinc liquet, non ab homicidæ hujus vel illius constitutione efficaciam curationis dependere, sed ab eo quod est homicidis omnibus commune, nempe homicidio, seu cæde ipsa, aut à qualitate homicidium sequente: At an à cæde ipsa, aut à qualitate inde dependente, naturalis ratio desumi queat hujus efficaciæ, inferiùs videbimus,

98. Sed nec *ab eo qui occisus est*, vel *ejus sanguine*, vis naturalis organo communicata est. Quid enim ipsimet occiso, seu ejusdem sanguini, peculia-

 re inest

re inest naturaliter? vel à qua causa naturali id productum est? Et si quæ virtus naturalis hîc concipienda sit, cur non ex æquo illa gladio carnificis communicatur? cur non ex æquo illa proficiscitur ab homine ad mortem usque vulnerato? vel cur non æquè illa inest hujus sanguini ex vulnere mananti? cur non promiscuè humano sanguini cuivis, etiam per venæ sectionem misso atque asservato?

99. Quòd si pathemata fortassis, seu affectus animi, qui moribundis atque violentâ morte obeuntibus obveniunt, credantur talem sanguini conciliare qualitatem, utique iidem non absimiles existunt, ubi vulnera lethalia inflicta sunt non subsequente morte; vel certè erunt similes in iis saltem, qui per manum pereunt carnificis, si fortè superveniens mors ipsa vulneri credatur qualitatem demum sanguini conciliare. Quamvis certè & in aliis, qui occiduntur aliter, cùm mors super-

venit,

venit, (quæ utique perrarò ipsomet momento quo infligitur lethale vulnus, accidit,) plerumque culter jam amotus est, ut adeò non tam à sanguine occisi, quàm à sauciati sanguine, necessum foret qualitatem, organo communicatam, derivare; sicque ex periculoso vulnere quocunque, licet mors non superveniat, mananti sanguini vis eadem attribuenda erit.

100. Et profectò, si ab eo qui occisus est, vel ejus sanguine, vis illa organo communicatur, quid ni vis ea vestibus commaculatis ac imbutis sanguine occisi potiori jure est attribuenda? quid ni, qui manus sublevando sauciato porrexerunt, ac fortasse ejus sanguine imbuti sunt, vim illam æquè in se ipsis consecuti sunt, ac instrumento cædis ea est communicata? quid ni promanans cruor ipse, salutaris medicinæ loco priori jure asservandus est.

101. Et, cùm non ille culter tantùm aliudve organum præcisè, quo

hic homicida usus est in homicidio, qui hunc præsentem huic qui jam fortè est correptus intulit affectum, vim sanctionis habeat, sed aliud quodcunque organum promiscuè, quo modò olim homicidium patratum est; quidnam commune omnibus occisis, seu eorum sanguini, inesse cogitari potest, quòd non similiter humanæ speciei individuis quibusque competat, præterquam quòd in eos cædes sit patrata? A cæde ergo, quâ occubuerunt, an quæ virtus sit ipsorum sanguini communicata, quæ per sanguinem translata sit in organum, inferiùs videbimus.

102. Quin &, cùm generale sit remedium, quod creditur ab homicidæ cultro proficisci, tum hominibus tum brutis ipsis pro restituenda sanitate conferens; quid ni similiter vis eadem obtinget cultro lanii à sanguine mactati bovis, vaccæ? &c. Si enim tanta homini cum brutis est sympatheia, ut sanguis ejus etiam his salutaris sit; quid ni vicissim

vicissim per sympathiam eandem sanguis horum homini prodesse potest, atque salutarem vim communicare organo mactationis? Cùmque tanta utrobique sit affinitas, ac mutua sympathia, à naturali constitutione hominum ac animantium brutorum pendens, ut facultate sanguinis ab homine manantis, communis utrobique medicina fiat; cur non vicissim, ex reciprocra affinitate illa accidit similiter, ut, velut ad præsentiam illius qui occidit hominem, tum homines tum bruta animantia affectu tali percelluntur, sic item ad præsentiam illius qui mactare bruta animantia consuevit, nempe lanii, similiter utrumque genus, vel saltem bruta ipsa, morbo prehendatur? aut facultate sanguinis à jugulato bove promanantis, consimiliter utrinque, aut in genere bovino saltem & equino, medicina salutaris extet?

103. Sed videtur Satanas impostor, qui est homicida ab initio, in sanguine hu-

ne humano potiùs, non quidem sauciati tantùm hominis sed omnino trucidati, istunc fucum facere curationis: Nempe velut priscis etiam temporibus, per sanguinem humanum, superstitiosè haustum vel adhibitum in medicinam, fraudes facere consuevit. Ex Apologetico Tertulliani adversùs gentes notum est, fuisse olim usitatum Romæ, ut in theatro & arena jugulatorum gladiatorum sanguis recens de jugulo decurrens, tepensque etiamnum, contra morbum comitialem biberetur. At quænam hujus sanguinis vis major esse potest, quàm aliter ex vulnere, vel secta vena arteriave hausti? nisi quòd ex cæde hominis plus capiat oblectamenti Dæmon, atque adeò impensiùs in ea superstitione homines misellos foveat.

104. Curationis equidem hujusce concernentis morbum comitialem, mentionem facit Celsus lib. 3. de Med. cap. 24. Verum, *miserum auxilium* appellat,

pellat, quamvis tolerabile miserius malum faciat. Ac Plinius H. N. l. 28. c. 1. idem remedium ex humano sanguine petitum proponens, *inventorem* istiusmodi *ostentorum* (ut non sine ratione vocat,) statuit ipsum *humani juris eversorem, monstrorumque artificem*: Idemque, quamvis Ethnicus, procul à nobis, inquit, nostrisque literis absint ista? Nos, inquit, auxilia dicemus, non piacula: Additque, vitam quidem non adeò expetendam censemus, ut quoquo modo trahenda sit. Tantò cordatior magisque pius extitit Vir Ethnicus, quàm hodie (prô dolor!) multi Christiani, qui experientiâ, quam vocant, certè fraude ac præstigiis Diaboli nitente, occæcati, quidvis pro salutę corporis stabilienda aut recuperanda adoriri non verentur.

105. Sed fortasse *Cædes* ipsa naturalem istiusmodi virtutem homicidæ vel ipsimet cædis organo communicat. Hoc perpendamus igitur, an fieri ullâ ratione

ratione queat, ut horrendum tale ac abominandum facinus, quod hominem invisum Deo reddit & hominibus, & quo nocendi seu affectum sævum solo etiam aspectu inferendi facultatem nactus homicida creditur, beneficam vicissim atque salutarem facultatem aliquam conciliet? At quænam virtus naturalis esse potest perpetratæ cædis? quæ, quæso, causa naturalis, quâ ex maledicta cæde, seu ex actione quæ abominationi Deo est, emanet sanativa qualitas, vel salus atque benedictio alterius? An non impostor Satanas hic imitari maximum mysterium redemptionis nostræ satagit? dum, velut morte Christi salus est conciliata animis credentium, sit cæde alicujus hominis vult credulorum hominum corporibus salutem reparari. Aut, quænam accidentis, nempe cædis, esse potest naturalis efficacia, quę non substantiæ alicujus facultatem consequatur? (nam imputatio hîc locum

cum nullum habet:) at, quæ peculiaris organo vel ipsi homicidæ obtigit per homicidium substantia? quæ quæso, vel substantiæ ipsius organi, vel naturalis constitutionis, homicidæ cum ejusdem speciei individuis communis, facta est vi homicidii mutatio, dum cæde est moraliter mutatus homicida? quo modo, quâ virtute cædis, nova ac benefica seu salutaris introducta qualitas, dum interim nocendi seu lædendi virtus est oborta?

106. Et, si à cæde virtus est, an non carnifici, ejusve ensi, eadem facultas inerit, quæ homicidæ esse creditur, vel ejus organo, quo homicidium patravit, attribuitur? Vel quanam ratione naturalem rei efficaciam immutat, quòd alter publicâ autoritate magistratus, alter proprio instinctu atque suâ violentiâ occidat hominem?

107. Ut verò nulla *naturalis* subest *ratio*, quâ talis cura peragatur; sic neque *supernaturalis* ulla, seu *divina*, fingi potest.

potest. Si enim *supernaturaliter*, seu singulari gratiâ divinâ, talis virtus organo, quo homicidium patratum est, communicetur, utique *sanationis medium* hoc *supernaturale*, vel *ordinariis* à Deo ultra vires naturales evehi ac commendari ab eodem & admitti solitis annumerandum, vel *medium miraculosum* planè est *& extraordinarium*: Non quidem prius: etenim id genus mediorum divinorum in Scriptura Sacra nobis revelatum est; nimirum preces & jejunia: Nec verò extra f. paginam judicium quodcunque est hominibus concessum, quo discerni queant istiusmodi divina media; ut adeò silente Deo in Scriptura ratio humana hîc in superstitionem ac temeritatem abeat, dum media divina sibi fingit, non à Deo in Scriptura revelata. Sed nec *miraculosum Dei medium* in hoc curationis genere sine piaculo confingi potest: Nam certè, Deum uti homicidæ ope atque organis, ut quod miraculum exer-

exerceat, asserere, omnino impium, horrendum, ac blasphemum est.

108. Sic ergo restat tandem, *fraudem diabolicam* subesse, atque implicari animos mortalium *abominandâ superstitione*, quæ à piis Dei Ministris prudenter atque tempestivè, optimâ quacunque ratione, extirpanda est.

109. Est certè perditoris Satanæ persuasio antiqua, quâ, delectatus ipse cęde hominum, ex cæde sacrificia confinxit, ac placari Deum immolatione hominum, in superstitionem instillavit. Hinc per vetustæ sunt mactationes hominum, cùm apud Ethnicos, tum & in ipso Dei populo à Satana seducto. Hîc etenim litatum cæde, quasi sacrificio, à plurimis, qui exurebant filios ac filias, in valle Gehennon, in cultum Idoli Moloch.

110. Inter gentiles Agamemnon Iphigeniam filiam mactavit in Aulide. Teucer Jovi hostiam humanam immolavit, apud Salaminem Cypri, posteris

ſteris hoc ſacrificandi more tradito, quem Hadrianus Imperator tandem ſuſtulit. In Latio Saturnus olim cultus eſt, in Tiberim de ponte Milvio dejecto vivo homine: quod genus ſacrificii ab Hercule, reverſo ex Hiſpania, refertur abrogatum, ritu ſaltem ſuperſtitioſo permanente, ut pro veris hominibus jacerentur imagines ex ſcirpo. Carthaginenſes victi ab Agathocle, Rege Siculo, cùm iratum ſibi Deum crederent, ut diligentiùs piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios ad aras occiderunt.

III. Sic ſemper cædibus humani generis impoſtor Satanas adſtruxit ſuperſtitionem! Verùm atrocibus id genus homicidiis, per quæ ſolenniter in animas humanas graſſabatur Cacodæmon, per divinam gratiam ſublatis; paſſim tamen veterator ille improbus, ac hoſtis generis humani infenſiſſimus. ex cæde quavis, etiam fortuitò illata, ſibi lucrum aliquod captare ſatagit:

Impri-

Imprimis verò è re ſua judicat, ſi modò apud ſuperſtitioſos homines è cæde aliqua patrata, illinc ægritudines, hinc rurſum ſalutaria remedia confingat redundare, quo hac arte ſuâ ſuperſtitionem foveat, ac cædi interim immerita encomia laudeſque paret, ſeu in admirationem rapiat quod deſtandum coram Deo eſt: At ſuperſtitioſa hæc credulitas & adm ratio, plerumque animarum damna ac pernitiem inevitabilem importat.

112. Quò verò fucum faciat callidiùs impoſtor, ac quâcunque ratione ſuperſtitioni fomitem ſubjungat, ad preces atque pia vota homicidæ, cohibet fucatam illam, quæ ex ſuperſtitione ipſi cœdi attribuitur, ἐνέργειαν, ut, pietatis pallio aſſumpto (quo ſe tegit improbus impoſtor, cùm in lucis Angelum externâ ſpecie ſe transformat,) ludibriis ac fraudibus, quibus inſidiatur animis mortalium, divinitatis ſpeciem attexat. (Quamvis interea

terea plerumque Deus ipſe, ubi pia, atque ex dovoto animo profecta vota ſurſum attolluntur, machinationibus & impoſturis diabolicis reſiſtat.)

113. Ne verò pietatis illa ſpecies, quam ipſi homicidæ Dæmon, fortè etiam ne quidem pœnitentiam agenti, liberaliter indulget, dum ad illius preces manè fuſas toto die abſtinet à noxa, quenquam fallat: Certè impoſtori illi, ut quacunque arte pactis ſuis implicet incautos homines, eoſque ad ſe rapiat per fraudes & inſidias, quos nequit ſibi manifeſto fœdere obſtringere, familare admodùm exiſtit, religionem ipſammet in ſuperſtitionem vertere, ac pietatis exercitia ad certas alligare circumſtantias, iiſque promerendi quippiam virtutem aſſignare: Scilicet jejunia in certos dies, ac precationum formulas ad definitum numerum reſtringit, ipſiſque formulis ſolenni ritu recitatis ſingularem tribuit virtutem, modumque certum aliis

aliis in pietatis exercitio conatibus definit.

114. Quin &, quò ſe callidiùs occultet, ſeu, quò boni Angeli ideam mentiatur, aut inſtinctum aliquem divinum præ ſe ferat, de religione ipſa ac ſacrorum ſtudio, de ſanctimonia, de precibus, frequentiùs ediſſerit, commendat pietatem, ac ut furtis, crapulâ, libidine, injuriâ, blaſphemiis, ac aliis peccatis, quibus inquinatur anima, abſtineatur, ſubleventur pauperes, ſolennes & quotidianæ preces non intermittantur, eaque obeantur omnia, quæ Chriſtianos decent, ipſemet hortatur; ſique aliquis voluerit ſeſe hiſce, nuncupatis verbis, obſtringere, (hoc eſt, ſe ſuperſtitioni alligare, ac in hiſce ponere fiduciam, & ex iiſdem ſeu ex operato opere ſecundùm pactum præſtito, ſperare proſpera,) eidem ea quæ vel maximè in votis ſunt ſe præſtiturum pollicetur, Cujus rei exempla extant apud

E Nicol.

Nicol. Remigium, Dæmonolatr. Sag. libr. 1. cap. 9. Sennert. libr. 6. pract. part. 9. cap. 5. Hisce fraudibus Diaboli omnino obsistendum est.

115. Sed ne seducat quempiam *Experientia*, quæ certè fraudulenta hîc, & alibi in casibus similibus, occurrit, quæque sola plurimorum animos occæcat, & in avia abducit cogitationes etiam eruditorum atque aliàs cordatiorum hominum, dum rationibus quibusvis sanioribus Experientiæ dictamen unicum opponunt: Equidem Experientia haudquaquam contemnenda illicò, si fortè rei Ratio nondum inventa sit: Cæcutit sæpe intellectus noster, nec ubivis statim rerum ratio est obvia, quas solidè Experientia commonstrat: adeò ut citra rationem exquisitam multa passim amplectatur Medicina rationalis, quæ per ipsam Experientiam probata atque commonstrata novit: Attamen si cui rei ipsamet natura munita ratione manifestè ac aper-

ac apertè refragetur, utpote nequaquam ullum in Natura fundamentum obtinenti, neque congruenti interim Scripturæ Sacræ (veluti præsenti morbo, quem præ manibus habemus, evenire demonstravimus,) id sanè si Experientiâ se muniat, Experientiam ejusmodi fallacem esse, ac reverà fraude Diabolicâ ac superstitione niti, certum est.

116. Experientia testatur utique, auguriis, ariolationibus, vel sortilegiis, vel Genethliacorum divinationibus, similibusque artibus vel magicis, vel saltem impiis, effectus juxta exspectationem passim respondere; attamen vir pius atque verè Christianus ob ejusmodi Experientiam nequaquam artes tales probat, sed ipsammet potiùs Experientiam, ceu fraude diabolicâ fulcitam, damnat atque respuit. Et quis ignorat, Magos ipsos, & Haruspices, eosque qui vel pecora, vel homines, vel res quascunque alias, per

incantationes curant, suam venditare ac jactare, quam res ipsa & effectus loquitur, Experientiam? at interim, non modò istiusmodi Artifices, sed illi quoque, qui vel fidem habent impiis id genus machinationibus, quantumvis Experientiâ munitis, per communem formulam, ceu ex mandato Christi & Apostoli, monentur à synaxi sacra abstinere, ac denunciatur illis, regni Dei participes ipsos non esse.

117. Sic & Experientiam, quam multi passim crepant, circa ortum ac curationem morbi hujus, quem in præsentia expendimus, nequaquam vel negamus, vel in dubium vocamus; verùm esse illam diabolicam, utpote Naturæ ac ipsius Dei operationibus adversam penitus, ac superstitione impiâ & detestandâ implicare animos mortalium, per rationes evidentes demonstramus: Censemusque eos, qui vel ortui hujusce morbi, vulgo decantato, vel curationi ejus fidem habent, non

non minùs ſe abducere à Deo Iſraëlis; ac ſectari fraudes Dæmonis, quàm Achazias Rex deſeruiſſe Deum verum judicatus eſt, eo quod alibi oraculum conſuleret, multiplici haud dubiè experientiâ munitum.

118. Sed ipſa Dei vivi vox, quæ in ſimilibus fallacem iſtiuſmodi Experientiam refellit atque reprimit, huc convocata, ac præſenti huic negotio accommodata, ſupplementum huic noſtræ Diſſertationi addat. Sic autem Deus ipſe Deuter. 13. ℣. 1. 2. 3. 4. 5. *Cùm*, inquit, *ſurgens in medio veſtri Propheta, aut ſomnians ſomnum* (ſcilicet vel μάντις, vel μάγος, vel ἀγύρτα, vel præſtigiator aut impoſtor quivis, conf. §. 68.) *ediderit tibi ſignum vel prodigium, quamvis eveniat ſignum illud aut prodigium*, (hoc eſt, quamvis Experientia ſua ſuperſtitioni, vel improbæ perſuaſioni atque impoſturæ reſpondeat, eveniatque portentum, quòd nec in Scriptura Sacra, nec in Natura

à Deo ordinata, fundamentum habet,) *quod eventurum prædixerat tibi dicendo, ſequamur Deos alienos, quos non noveras, & colamus eos*, (hoc eſt, inſuſurrando tibi tacitè per fraudem atque impoſturam ſuam, ſectemur ſuperſtitionem, atque impia machinamenta, ſpretâ ac poſthabitâ religione verâ, neglectâque quam divina manus condidit, Naturâ, Dei Miniſtrâ:) *Ne auſcultato verbis Prophetæ iſtius, aut iſti ſomnianti ſomnium, quia tentat Iehova Deus veſter vos, ad cognoſcendum an ſitis amantes Dei veſtri ex toto corde veſtro, & ex toto animo veſtro*, (an potiùs præter Deum, ac legitima media à Deo ordinata, ſitis conſilia & auxilia aliena admiſſuri, aut impoſtori Satanæ ejuſque miniſtris, ac perſuaſionibus impiis, adhibituri fidem.) *Iehovam Deum veſtrum ſequemini, & ipſum timete: Et mandata ejus* (in Scriptura Sacra conſignata,) *obſervate; ac voci ejus* (in Natura ipſa reſonanti) *abſcultate, eumque colite,*

colite, & adhærete ei. Propheta autem iste, aut somnians somnium, (seu impostor ille, qui à via Dei, in Scriptura ac Natura adumbrata, vos abducit sciens volens) *plectitor morte, quia suasit apostasiam contra Iehovam Deum vestrum*, (velut apostasiæ damnatus fuit à Deo Achazias Rex 2. Reg. cap. 1. eo quod oraculum alienum, utut Experientiâ fretum consuleret, vid. §. 28.) *depulsurus te à via quam præstituit tibi Iehova Deus tuus* (in Scripturæ suo ac Naturæ libro) *ut ambules in ea: ita sustuleris illud amlum è medio tui.*

F I N I S.

DISSERTATIO
De
LYCANTHROPIA.

QUemadmodum veriſſimum eſt, quod inculcatur ſæpè ab Hippocrate, ineſſe morbis Θεῖόν τι *divinum* quid, hoc eſt occultum atque abſtruſum, nec illico ſenſibus atque ingenio humano perveſtigatum, vel ſaltem quod nequaquam ad primas ſecundaſve qualitates, vulgò dictas, revocari queat, verum quod naturâ elementari ſit ſublimius abſtruſiuſque: ita Medico-Philoſopho indignum eſt, ſi quid in morbis accidat inſolitum & infrequens, quin imo admirandum fortè &

tè & abstrusum rationi, illico ad causas supernaturales mentis aciem convertere, ac causam rei vel à Deo ipso protinus immediatè, vel à quodam Dæmone, accersere; profanum verò atque impium, pro veritate ex naturâ rerum eruenda, fabulosis, superstitiosis, quin & magicis, se expedire rationibus. Vir prudens atque veræ sapientiæ addictus Medicus, aniles nugas, atque fabulas antiquas ex credulitate quadam superstitiosa, vel ex pia fraude, ut existmarunt, genitas, ab Artis suæ dignitate atque puritate removet, & in naturam rerum ipsammet intentus, varia quæ sæpè credulorum observantur animis ludibria Diaboli, ac impostoris Satanæ præstigias, à veritate ipsa sedulo decernit.

2. Hoc idem nobis impræsentiarum de *Lycanthropia*, affectu præternaturali, qui in Morborum censum passim venit, in gratiam Ornatiss. Dn. Respondentis Dissertationem habituris.

agere propositum omninò est. Ac dum affectus præternaturalis naturales causas exhibemus, commentum fabulosum priùs, quod à longo tempore multorum hæret animis; ac fortè nondum omnibus exemptum est, de Λυκανθρώποις, seu *Hominibus in Lupos mutabilibus*, examinandum nobis propiùs, idemque evertendum est.

3 Excutienda ergo quæstio, *An detur vera Hominum in* Lupos *aliave bruta animantia mutatio?* Est quidem notum illud Virg. in Eclog. *Vidi sæpè lupum fieri & se condere sylvis Mœrim.* Similiter Pausan. libr. 6. Iliad. refert Demarim quendam pugilem decem annis fuisse lupum, & deinde hominem rediisse. Herodot. libr. 4. de Scythiæ populis quibusdam refert, quotannis fieri Lupos. Similia de aliis ex aliorum relatu narrat Plinius libr. 8. N. H. cap. 22. Nota item est fabula apud Ovidium libr. 1. Metamorph. de *Lycaone* in *Lupum* verso. At apud phantastica ingenia fa-

nia fabula passim in veram Historiam abit. Certè, *nullum tam impudens mendacium est*, dicente Plinio cit. loc. *ut teste careat. Homines*, inquit ibid. *in Lupos verti, rursumque restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot sæculis comperimus*. Miranda, sed neutiquam credenda, de Lycanthropis habet Olaus Magnus, Histor. de Gentib. Septentrionalis libr. 18. cap. 45. videantur quæ ex eodem citat Sennert. Institut. Med. libr. 2. part. 3. s. 1. cap. 7. multa item alii multi de iisdem: Cælius Rhodigin. libr. 27. cap. 12. August. de Civit. Dei libr. 18. cap. 17. 18. Hieronym. Magius libr. 4. cap. 12. Bodin. Dæmonom. libr. 2. cap. 6. Bullinger. libr. 2. adversus magos, Boissard. de magia cap. 6. Aliique: Ac varia exempla Hominum in Lupos mutatorum citat Remigius libr. 2. Dæmonolat. cap. 5. Quin & Bodini *Lycanthropiam*, seu *Hominum in Lupo-*

rum aliarumque bestiarum formam mutationes, tueri conatur, speciali Oratione, Joh. Fred. Wolfeshuf. At contra Bodinum eruditè differit I. de Nynault, tractatu gallico, qui in belgicum idioma versus inscribitur *van de Wolf-wordinge, verscheppinge, ende vervoeringe der Tovenaers.*

4. Equidem, si ulla vera dari posset *Hominum in bruta animantia* transformatio, alteruturum fieri necessum foret: Vel ipsa hominis anima, derelicto suo corpore, in corpus cujuscunque bruti, Lupi, Canis, Felis, Asini, &c. sive verum, sive fraude diabolica confictum, migraret; vel, ipsum corpus humanum, junctum manens suæ animæ, in corpus bestiæ commutaretur: At utrumque impossibile est. Fuit quidem olim tradita à Pythagoricis; quin & admissa à Judæis ipsis, quædam μετεμψύχωσις, seu animarum transmigratio, quâ illi quidem animas humanas non in humana tantùm

corpora,

corpora, priore nempe diſſoluto, ſeu poſt mortem, commigrare ſtatuebant; ſed & in aliarum ſpecierum corpora quæcunque: adeò ut fieri poſſet, v. g. ut qui tempore Trojani belli fuerat Agamemnon, vel Achilles olim, noſtro ævo fortè vel muſtela ſit, vel gallus gallinaceus. Sed talem μετεμψύχωσιν, quâ animæ, poſt individuorum funera in alia corpora commigrent, abundè refutavimus Diſſert. de Anim. hum. 2. quę eſt de Orig. anim. 1. quam nec ipſi Pythagorici cordatiores aliter quàm ſenſu myſtico & allegorico ſunt tuiti, ut Antiquorum ipſorummet teſtimoniis evidentiſſimis cit. loc. demonſtravimus.

5. Pulchrè Hierocles in aurea carmina Pythag. (pag. 248.) *Si quis animum ſuum cum mortali corpore, ex ignoratione immortalitatis, quæ ineſt animis noſtris, arbitratur interire, ea ſpectat, quæ nec debent fieri nec poſſunt: Similiter etiam,* inquit, *qui feræ corpus indituirum*

sesperat, & fore, ut malitiâ rationis expers animal evadat, aut planta sensus ignaviâ. Idem quoque contrariâ illis ratione : qui hominis naturam in superiora genera (scil. Deorum) *commutat, eam trudit ad inferiora, deceptus & ipse, atque ignarus formæ essentialis, quam habet hominis animus, mutationis expertem. Semper enim Homo permanens, virtutis atque vitii vicariâ possessione, Deus aut fera fieri dicitur: cùm naturâ neutrum existat, sed similitudinis habitudine cum utroque.* Namque ut idem habet pag. 176. *quæ secundùm virtutem vita est, reverà divina est ; quæ autem vitia sequitur, belluina atque à Deo aliena.*

6. Nempe ad multitudinis persuasionem, ac servandarum legum commoditatem ; ex religionis (vel potius superstitionis) aliquo impulsu, hæ aliæque similes fabulæ excogitatæ sunt, ut testatur Aristot. 12. Metaph. cap. 8. Quam eandem excogitatæ illius transmigrationis animarum rationem reddit Timæus Locrus : addit-

que,

que, ſicuti corpora remediis quibuſdam morboſis curamus, niſi cedant ſaluberrimis; ita & animos falſis ſermonibus coërcendos, niſi ducantur veris. Pulchra ſanè ratio in Pontificiorum auribus & animis, pro ſtabiliendo Purgatorio, aliiſque figmentis, ad crumenas vulgi emungendas excogitatis. Interim, ſi ſuperſtitio abſit, allegorica illa hominum tranſmutatio pulcherrimè quadrat in ipſos mores.

7. Namque ut Boëthius ait de Conſolat. Philoſ. libr. 4. proſ. 3. *Cùm ultra homines quemque provehere ſola probitas poſſit, neceſſe eſt, ut quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Evenit igitur, ut quem transformatum vitiis videas, hominem exiſtimare non poſſis. Avaritiâ fervet alienarum opum violentus ereptor? ſimilem lupo dixeris: Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis: Inſidiator occultis ſurripuiſſe fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur: Ira intemperans fremit?* Leonis

Leonis animum gestare credatur: Pavidus ac fugax non metuenda formidat? Cervis similis habeatur: Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit: Levis ac inconstans studium permutat? nihil ab avibus differt: Fœdis immundisque libidinibus immergitur? sordidâ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui probitate desertâ, homo esse desierit, cùm in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.

8. Econtrà verò, qui se rursum quantum fieri potest immodicis affectibus liberârit, & ita quasi è fera homo factus sit, ex homine Deus vel Angelus evadet, quantum patitur humanæ conditionis ratio: ut loquitur Hierocles, in superius cit. comm. Quippè, *cùm media jaceat hominis natura* (ut aït idem pag. 259.) *inter eos qui Deum semper contemplantur* (nimirum Angelos) *& quibus id naturâ negatum est* (nempè bestias:) *eadem ascendit ad illa, & descendit ad ista, mentisque possessione & rejectione divinam similitudi-*

nem

nem atque belluinam, propter naturæ propensionem ad utramque, induit. Certè velut id quod fit, unum eſt, (ut Boëti differit. cit. loc.) ipſumque unum bonum; ut adeò omne id quod fit etiam eſſe bonum videatur: Similiter, quicquid à bono deficit, eſſe deſiſtit; quo fit ut mali deſinant eſſe quod fuerant: Sed fuiſſe homines adhuc ipſa humani corporis ſpecies oſtentat; quare verſi in malitiam, humanam quoque amiſêre naturam.

9. Atque ita non niſi allegorica fuit & eſt Pythagoræorum illa *μετεμψύχωσις*: quà verò ultra allegoriam abrepta fuit, fabuloſa extitit. Ut adeò poſt ipſa fata hominum nulla tranſmigratio animæ in alia corpora quæcunque, ne quidem ſenſu Veterum, accidat. Quam quidem fabulam pluribus refutare rationibus, hoc loco ſuperſedemus.

10. Sed nec fieri poteſt, ut anima unius ejuſdemque Hominis, dum manet unus idemque, ſeu ante obitum, per vi-

per vices ſuum corpus deſerat, atque in corpus quodcunque lupinum, caninum, felinum, &c. commigret. Manifeſtam enim in natura contradictionem involvit, animam à corpore diſſolvi, hoc eſt, interire individuum, ac interim manere unum eundemque hominem: vel, impoſſibile eſt, ex ſanæ rationis dictamine, ipſoque attteſtante Philoſopho, ut quod interit idem numero revertatur. Solius Dei eſt, veluti ex nihilo creare, ita & poſt diſſolutionem animæ à corpore ex mortuis eoſdem numero reſuſcitare: ſolâ fide illud apprehendimus; at intellectu noſtro neutiquam id capimus; ac eò firmiùs id credimus, quòd rationi illud adverſari novimus: Hoc ſaltem intelligimus, nec Satanæ nec improborum hominum hanc eſſe facultatem, idem numero reproducere quod periit; adeòque nec poſt ſeparationem animæ à corpore, ad vitam hominem eundem revocare.

11. Et

11. Et ſanè, cùm poſt ſeparationem animæ à corpore, hoc ipſum, velut deſtitutum ſuo ſale, mox corrumpi ac putreſcere incipiat; quid, quæſo, fiet, de humano illo corpore è quo anima in belluinum corpus quodcunque emigravit? An fortaſſe poteſtate perditoris Satanæ præſervatur à corruptione, donec revertatur in idipſum anima? At ita Satanas prȩſtabit paria cum Deo, cui ſoli competit cadaver à corruptione ſervare, ex Pſalm. 16. ℣. 10. Vel, quî cum reditu ipſius animæ ad ſuum corpus, corruptio inchoata protinus corrigitur, ipſumque corpus priſtinæ integritati reſtituitur?

12. Vel, ſiquidem per morbos vehementes & acutos ita mox totius corporis robur enervatur, ut ſenſim demum vires priſtinas recuperent convaleſcentes, quî fieri poteſt ut poſt ſeparationem animæ à corpore, ſeu mortem ipſam, non oriatur tanta diſſolutio quarumvis facultatum corporis, quæ non

non unius horæ aut diei ſpatio evinci atque profligari queat? Quin &, quæ, quæſo, cauſa novæ unionis animæ cum corpore efficiens, quod fundamentum erit? &, an hæc nova unio ipſius animæ cum corpore haberi poteſt hypoſtatica vel naturalis, ſeu ex ordine quem Deus autor atque conditor naturæ voluit habere locum? atque adeò, an verè rurſum homo fieri ſtatuendus eſt cum animæ ad ſuum corpus reditu? An verò tribuenda Satanæ, ſimiliter ac conditori Deo, poteſtas necis atque vitæ? mitto abſurda plura alia, quæ animam è corpore ad tempus emigrare, ac dein ad nutum Satanæ reverti, vel ejuſdem poteſtate corpori reſociari, nimis ἄσοφον & ἀθεόλογον perſuadent iis ipſis quoque, qui alioqui Lycanthropiam veram dari ſeriò contendunt.

13. Sed neque corpus ipſum hominis conjunctum manens animæ, in belluinum corpus verti poteſt. Etenim, ſi verè talis Metamorphoſis, ſeu tranſmutatio aut

tio aut transfiguratio humani corporis, virtute diabolicâ contingeret, dum anima humana corpori essentialiter unita manet, utique sub corporis quacunque conformatione ac figura verè posset esse Homo; Ac non esset ita rationalis anima ad certam corporis structuram ordinata; sed indifferenter, velut sub lupina, vel felina, &c. ita sub equina, asinina, gallinacea, ac porrò animantis cujuscunque externa forma seu figura, hominis essentia perçquè locum obtinere ac constare posset. At, quid ni ita potiori jure, sub figura bruti animantis cujuscunque, posset animal brutum quodvis aliud existere? nimirum, Leo sub figura galli gallinacei, vel asinus sub forma leonis aut perdicis? Verum, sicut istoc planè inauditum, nec à quoquam sanæ rationis unquam est assertum; ita magis illud absonum, & magis est ab omni ratione alienum. Ut enim multò longiore intervallo distat hominis

hominis essentia, ab essentia quacunque animantium brutorum; ita multò potiori jure sua propria figura homini concessa est: Ac est omnino contra constitutum ab ipso conditore Deo ordinem naturæ illa Metamorphosis, cùm Deus ipse suam Homini essentiam contribuens, *Os homini sublime dedit, &c.* Ut adeò verissimè Galenus noster, *Oportet profectò idoneum esse id corpus*, inquiat, *quod animam est suscepturum, & si magnam sui subeat mutationem, ex eo statim animam emigrare.*

14. Et siquidem natura ipsa, quæ cuique speciei propria existit, sui domicilii architectrix sit, ac ipsæmet substantiæ formarum (quum non sit eadem essentia in omnibus) sibi quęque organa adornent atque construant ad usum futurarum operationum, (velut rectè cùm Themistio contendit Scaliger) qua, quæso, ratione ad naturam sensitivam hominis (quâ certè pereunte hominem necesse est perire, ipsam-

ipſamque rationalem animam emigrare) accommodatum eſſe poteſt corpus animantis bruti qualecunque? cùmque rurſum ex Galeno noſtro, ſolidâ adſtipulante veritati ratione, *ea ſolùm vis organorum uſum noverit, quæ ea fabricavit*, quâ, quæſo, ratione tandem una eademque natura humana, ex æquo ſe habere poteſt expeditè ac indifferenter ad diverſiſſimorum corporum ſtructuras atque conformationes, ut organis quàm diverſiſſimis, humani nempè corporis, lupini, felini, aſinini, vel quorumvis aliorum, quorum certè uſum ac ſtructuræ rationem non intelligit, ſat commodè, pro edendarum functionum ratione congrua utatur.

15. Eſſentiæ certè rerum immutabiles exiſtunt, ſeu indiviſibiles: At Hominis eſſentia individua, ex rationali anima, eique reſpondente ac proportionato ſenſitivo corpore, (in quo ſi inſit nimia monſtroſitas, non eſt con-

est conveniens ipsius mentis domicilium,) à conditore Deo concinnata est: Pro ipso autem sensitivo corpore humano, si quodcunque corpus animale homini substitui credatur, hominis essentiam mutari est necesse; ac reverà fieri non ἀλλοῖον, sed omninò ἄλλο: nec unum adeò eundemque remanere hominem. At nulla ratione per virtutem diabolicam, essentiam humanam quæ destructa est, eandem numero posse reparari, superiùs demonstratum est. Concludimus ergo cum August. libr. 18. de Civit. Dei cap. 18. *Absurdum est, & ab omni ratione alienum, Homines in Lupos mutari, licet multi Veterum idipsum crediderint & affirmarint.* Quin imò, ut inquit idem, *Non solum animam, sed nec corpus quidem ullâ ratione crediderim Dæmonum arte vel potestate in membra vel lineamenta bestialia veraciter posse converti.*

16. Quod exempla ac testimonia attinet, cùm Veterum tùm Recentiorum,

rum, quibus veram Hominis in Lupum metamorphosin conantur comprobare, dicimus, illam mutationem vel esse magicam & fictitiam Præstigiatoris arte, utpote quæ fiat ope fascini, vel cacodæmonis, qui multis modis homines solet illudere; vel esse fabulosam & ab hominibus pessimis confictam. Tribus autem potissimum modis decipit homines credulos, ac plus quàm par est superstitioni addictos, præstigiator Satanas: Vel enim ipsemet cacodæmon aliquam larvam seu spectrum ferinum induit, nempe lupi, aliusve alicujus animalis imaginem ex aëre, aliisve elementis, confingit, vel exuvias lupi aliorumve animalium brutorum assumit, aut ipsa eorundem viventia corpora extraordinario modo impellit, atque ita vi suâ patrat ea sub ejusmodi specie, quæ Homo aliquis patrare credatur, in lupum &c. commutatus; dum interim Homini illi, fortè sopore alicubi de-

tento, phantaſma injicit rerum ſimilium à ſe patratarum. Quod ſi autem videatur quandoque ejuſmodi larvæ, vel corpori ferino, vulnus infligi, tunc ipſe Dæmon in abſentis corpore conſauciat illam partem, quam novit in adſcititio vel ferino ictu impetitum fuiſſe.

17. Vel, quandoque forſan ipſis Magis Sagiſve, Lupi, aliuſve animantis, externam effigiem ex elementis confictam induit, vel animalium exuvias ita iis mille artifex circumponit, ut caput capiti, pes pedi, ora oribus reſpondeant: ut adeò mirum non ſit, ſi in talibus humana membra saucientur, ſpectro vel exuviis involuta, quæ in ferino illo corpore vel adſcititiâ effigie ictum fortè exceperunt. Vel denique à parte aliorum hominum præſtigiator aliquando ludibrium facit, dum glaucoma objicit ipſorum oculis, ac ſenſus eorum, exteriùs arte magicâ conturbato aëre, & veluti ſimulachris obdu-

obducto, ita decipit, ut putent se reverà videre, quæ tamen non vident.

18. Equidem, quod primum attidet modum, quo ipse Cacodæmon objectu mentitæ alicujus formæ sensum ludificantis varia perpetrat, dum ipse homo qui in Lupum, felem, aliudve animans mutatus dicitur, seque reverà in Lupum, felem, &c. commutatum existimat, talia se patrare opinatur: asserit Wierus libr. de Lamiis cap. 5. omnia illa, quæ facere se putant sagæ, mera somnia & phantasmata esse, quæ Diabolus vigilantibus etiam, plerumque dormientibus suggerit: quod ipsum quoque exemplo ex Bapt. Port. declarat. cap. 9.

19. Similiter Sennertus de morb. occult. libr. 6. part. 9. cap. 5. Historiam sibi à nobilissimo quodam viro, fide digno, relatam narrat, in hunc modum: *Cùm fœmina quadam carcere detenta esset, quòd in Lupum se transmutare posse perhiberetur, atque id ipsum fassa esset,*

sa esset, Magistratus, si ejus rei specimen ederet, se ei vitam donaturum promisit: Quod cùm se præstituram esse polliceretur, modò unguentum suum, ad hoc opus necessarium, ad manus haberet, id statim ex ejus domo allatum est: Quod ubi accepisset, caput, collum, axillas, & superiores corporis partes eo inunxit, & paulò post concidit, ac profundo somno correpta est magistratu præsente. Horis tribus elapsis subitò surrexit, & interrogata ubinam interea fuisset, & quid rerum egessit? respondit, se in Lupum mutatam, prope civitatem aliquot milliaribus distantem, quam nominavit, primo ovem, deinde vaccam dilacerâsse. Cujus rei ut certitudo haberetur, inquisitum est apud Magistratum ejus loci, atque rem ita se habere compertum est. E quo constat, inquit Sennertus, *Diabolum sagæ profundo somno detentæ nomine ista patrâsse, & Sagæ phantasma hoc in somno objecisse.* Unguenta autem ejusmodi ac venena similia diabolica narcoticam vim & deliria phantastica inducen-

ducendi facultatem habere, verisimile est.

20. Similis Historia occurrit apud August. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 18. *Quidam nomine Præstantius*, inquit, *patri suo contigisse indicabat, ut venenum illud* (quo veneficæ quædam mulieres dicebantur homines in jumenta vertere) *per casum in domo sua sumeret, & jacere in lecto suo quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. Post aliquot autem dies eum velut evigilasse dicebat, & quasi somnia enarrâsse quæ passus esset: Caballum se scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulâsse militibus, &c. Quod ita ut narravit factum fuisse, compertum est. Indicavit & alias*, inquit, *se domi suæ per noctem, antequam requiesceret, vidisse venientem ad se Philosophum quendam sibi notissimum, sibique exposuisse nonnulla Platonica, quæ antea rogatus exponere noluisset. Sed cùm ab eodem Philosopho quæsitum esset cur in domo ejus fecerit, quod in domo suo petenti negaverat? Non feci, inquit,*

 sed me

ſed me feciſſe ſomniavi. Ac per hoc alteri per imaginem phantaſticam exhibitum eſt vigilanti, quod alter vidit in ſomnis. Hæc, inquit Auguſtinus, *ad nos non quibuſcunque, qualibus credere indignum, ſed iis referentibus pervenerunt, quos nobis non exiſtimaremus fuiſſe mentitos.*

21. Sic quidem præſtigiator Cacodæmon animantia bruta quævis, eorumque affectiones, ſuis præſtigiis mentiri poteſt, ſeu formam externam quancunque repræſentare: animantia autem vera ipſe ſuâ poteſtate non producit; ac multò minus humanum corpus in belluinum quodcunque commutare potis eſt. Quod adeò verùm eſt, ut ne quidem poſſit Diabolus aliquid animalis, v. g. ſanguinem, verè producere, aut ſubſtantiam aliquam quamcunque in verum ſanguinem commutare, niſi ope naturæ animalis à Deo productæ.

22. Exemplo res liquere poteſt. Cùm præſtigiator Satanas ante aliquot annos in

nos in Cænobio quodam Coloniensi (historiâ recens ac verissima est, infinitos habens oculatos testes, qui nondum consenuêre) omnes cœnobii virgines impurâ suâ magiâ infecisset atque obsedisset, (quarum maxima pars ibidem igne cremata est) ex simulachro quodam Salvatoris, cruci affixo, stillare aliquamdiu faciebat sanguinem, eumque verum. Res summæ admirationis fuit, ac superstitioni deditis hominibus ingentem cernebatur religionis suæ zelum excitare: Sed cùm fraus Satanæ præstigiosa tandem pelluceret, ac detegeretur, misellorum ac superstitiosorum hominum dementiam ridebat ipsemet ex monialibus obsessis, quòd caninum sanguinem pro sanguine Salvatoris penè adorassent: ipseque plurimorum eorum cadavera, è quibus sanguinem, pro suo præstigioso exercendo miraculo sustulerat, in quodam urbis angelo secretiore congesta indicabat. Sic quidem sanguine

canino uti habuit necesse, nec tamen illum ipsum potuit mutare in humanum; ut neque canes illos, sanguine sublato, in vivis conservare, aut mortuos in vitam revocare.

23. An hunc modum refero, si quando Diabolus vera Luporum corpora obsidet, atque per eadem varia, quæ verè lupina, ac præter naturam humanam sunt, agit, dum interim suis mancipiis ab ipsis talia geri, quasi in somniis persuadet. Atque hoc modo verum est, quod traditur de Lycanthropis, deprehensos esse, validissima etiam animalia, ab iis in campis prosterni, postrata discerpi, crudis eos vesci carnibus, idque avidè, luporum more. Quamvis & in talibus spectantium oculos ludificare Dæmon possit.

24. Quod modum secundum attinet, quo suas Cacodæmones præstigias sub forma Lupi, aliusve cujuscunque feræ, exercere diximus: Si verum est, quod referunt nonnulli, ipsosmet

ipſoſmet homines, qui in Lupos commutari dicebantur, non duntaxat ſibi tales viſos eſſe per phantaſmata turbata, ſed & aliis fuiſſe tales deprehenſos; utique, niſi glaucoma objectum fuerit aliorum oculis, (quod frequentiſſimum exiſtimamus) ſtatuendum eſt, externam Lupi ſpeciem ipſis hominibus, per ſe non mutatis, diabolicâ arte affictam fuiſſe, ſive ex elementis ipſis quomodocunque, ſive ex Luporum exuviis. *Neque enim*, ut cum Auguſtino dicamus, *Dæmones naturas creant, ſi quid tale faciunt, de qualibus factis iſta vertitur quæſtio; ſed ſpecie tenus, quæ à Deo ſunt creata, commutant, ut videantur eſſe, quod non ſunt*. Frequentiùs tamen in talibus ſpectantium oculos falſis ſimulachris objectis decipit fallitque Diabolus, ut putent ſe videre ſpeciem externam, quam reverà non vident.

25. Hinc tertium modum in deluſione tali diabolicâ conſtituimus, quâ

glaucomate objecto aliorum oculis, putent se videre, quæ tamen reverà non sunt. Ita de Zedechia quodam Judæo, insigni mago, refert Joan. Trittenhem. Abbas, illum arte suâ magicâ effecisse, ut hominibus videretur virum armatum cum equo & omnibus armis, currum quoque onustum fœno, cum equis & auriga, devorare; eundem hominibus capita, manus ac pedes amputâsse ait, eaque cum sanguine defluente omnibus videnda præbuisse, postea verò iterùm ad loca, unde abscissa videbantur absque hominum detrimento restituisse.

26. Sed & sæpenumerò fabulosa, atque à pessimis hominibus, ad fovendas misellorum hominum superstitiones, conficta est ejusmodi Hominum in bruta animantia Metamorphosis: Ita inter Papisticas fabulas & impias fraudes (quæ nunc passim Christiano orbi patent) reputandum omninò est, quod Vincentius in Spec. libr. 3. cap. 109.

cap. 109. sub Leone VII. Papa accidisse, è Guilhelmo Malmesberiensi Monacho (verè otiosi Monachi ingenio dignum) narrat: *Duas in Germania Sagas fuisse hospites, unâ arte imbutas, ut scilicet peregrinantes, quos vellent, hospitio exceptos, in bestias vertere possent, quas mercatoribus harum rerum ignaris, lucri causâ venderent. Quodam igitur tempore, cùm juvenis,* inquit, *ex histrionica vivens, ad eas divertisset, mulierccularum more per magiam in Asinum statim versus est, qui agilitate membrorum, & insigni varietate gestuum (quos salvâ ratione edebat) spectantibus perquam videbatur admirabilis. Eam ob causam vicinus quidam, voluptatem & delicias sibi paraturus, Asinum magno à Sagis emit pretio, simul tamen annexam accipiens monitionem, ne bestiam ad aquas accedere permitteret. Diu igitur ab aqua servatus Asinus, cùm aliquandò heri incuriâ in lacum proximum abiisset, undis ibi immersus pristinam formam recepit. Servus igitur cursitans, ex*

eodem fortè obvio, an Asinum oberrantem alicubi viderit, anxiè quærit. Is verò, se Asinum fuisse respondit. Quod ipsum, ut insigne prodigium, Herus ex templo Pontifici summo curat indicari, cui res mira initio visa; postea tamen, cùm Petr. *Damianus, vir ejus ætatis eruditissimus, exemplo Simonis Magi, tale quiddam fieri posse asseveranter statueret, & factum ipsum muliercula convictæ constanter assererent, absque dubitatione ab omnibus credita.*

27. Profectò, res æquè fabulosa est, vel meræ Diaboli larvam quamcunque ementientis præstigiæ, quod de *Simone Mago* narratur in historia Clementis (de quo item apud Irenæum, Euseb. & Egesipp. nimiùm quandoque fabulis fidem habentes,) Nimirum, Neroni contigisse, ut, cùm Simonem Magum securi percussum unà cum adstante populo existimaret, magiæ præstigiis ita deceptus fuerit, ut arietem formâ Simonis decollatum visu non agnosceret: adeòque factum, ut Si-

ut Simon tertio die; velut à morte reversus (id quod se facturum antè dixerat) Deorum aliquis esse crederetur, cui propterea statua Romæ à Nerone posita, cum inscriptione, *Simoni Mago Deo.* Certè, si vel vera circa hoc ludibrium de Simone Mago sit Historia, haud tamen ex Simone Mago factus fuit Aries: non ipse, inquam Simon Magus in arietem conversus est, (quemadmodum in ea Metamorphosi, de qua hic agimus, contendunt fieri;) sed forma tantùm atque simulachrum Simonis circumfusum est arieti, ut aries decollaretur sub fictitia per magicas præstigias effigie Simonis.

28. Similis cum præcedentibus fabulis farinæ est, id quod citante Wolfeshusio in sua de Lycanthropia Oratione, Spreng. Inquisitor, è Guilhelmo Tyri Archiepiscopo, in Cypro accidisse scribit: *Iuvenem Anglum simili modo à Saga in Asinum transmutatum esse, eâque formâ totum triennium inhuma-*

humanam servitutem in portandis quibusque familiæ necessariis serviisse. Cùm autem mentis, inquit, *& rationis compos esset*, (adeòque verè homo) *visum aliquando eam ad templi fores in genua provolvi, eaque agere, quæ à bellua nequeunt proficisci: tum ergo magam, quæ Asinum agebat, suspectam habitam, & ad Iudices raptam, posteaquam rem omnem fassa esset, Iuvenem etiam arte suâ restituisset capite pœnam luisse.*

29 Mirum profectò, rationale illud jumentum, seu humanum illum Asinum, tam diu molestam illam servitutem æquo animo tulisse; & cùm mentis ac rationis compos esset hic Asinus, non aliquando vindictæ causâ in istam veneficam insurrexisse. Quid jam nobis mira narrat Mosaïca Historia, de Bileami Asina, quæ humanâ voce sit locuta: mirum sanè, nisi insignes istiusmodi fabulatores illam verum hominem sub Asinina forma fuisse ausint asseverare. Planè itidem fabulosum & ementitum, vel verè diabolicum, saltem ab

tem ab omni vera Metamorphosi alienissimum habendum est, id quod à quo nescio proditum de Asino quodam, qui Ammonii Philosophi Peripatetici Lectionibus ordinariè interfuerit: ut jam alias id genus Diaboli præstigias varias prætermittam.

30. Missâ ergo Lycanthropiâ diabolica ac fabulosa, aliud LYCANTHROPIÆ genus considerandum nobis est in Medicina, ab omni arte magica ac Dæmonis præstigiis diversum: Nimirum, insaniæ quædam species, seu Symptoma in depravata imaginationis functione consistens, quo homines se *Lupos* existimant, ac Luporum indolem actionesque imitantur. A ferinis autem Symptomatis, quibus luporum actiones æmulantur ægri, nomen accepit. Velut quando canes imitantur, consimilis affectus CYNANTHROPIA dicitur: de quibus Aëtius tertrab. 2. serm. 2. cap. 11. itemque Ægin. lib. 3. cap. 16. qui Lycanthro-

canthropiâ correptos *Lycaones* & *Lycanos*, & *Lycanthropos* vocat. Avicennæ lib. 3. Can. fen. 1. tract. 4. cap. 21. idem affectus *Kottrob* seu *Kutrub* (pro quo Barbari corruptè *Kutubut* legunt) dicitur, ab inquietudine quâ continuè de loco in locum vagantur, unde & non malè *Melancholia errabunda* vocatur: quamvis Sennert inter *Kutrub* seu *Melancholiam errabundam*, *& Lycanthropiam* discrimen facere videatur, ut patet libr. 1. pract. part. 2. cap. 14. coll. cum cap. 16. ibid. ubi quasi distinctos affectus, sed præter rationem, tradit. Est autem *Kottrob* interprete ipso Avicenna cit. loc. bestiola existens in superficie aquæ, quæ super eam movetur diversis motibus sine ordine, itemque alia bestiola agilis & nunquam quiescens, itemque mas alicujus diri ac deformis Draconis, quod genus *Saali* dicitur Arab. (in plur.) &c. plures item significationes τȣ̃ *Kottrob* refert Clarissim. Dn. Golius in Lexic. Arab.

Arab. *Cynanthropia* Historiam notatu dignam refert Forest. libr. 10. obs. 26. Potest huc etiam referri γαλεανθρωπία, seu consimilis affectus, quo homines moribus & actionibus imitantur feles.

31. Consimili affectu laborâsse Demerim apud Pausaniam, & Mœrim apud Virg. quin & integras aliquando gentes, statis temporibus, hoc morbo, ceu epidemico quodam malo, correptas fuisse, haud planè alienum est à ratione: ut morbus ipse occasionem præbuerit fabulæ de vera Hominum in Lupos Metamorphosi. Ac est omnino vero simile, consimilem affectum ex justo Dei judicio passum esse Nebucodonozarem, quando apud Danielem cap. 4. *similis factus* dicitur *belluis agri*, &, *herbam comedisse ut boves*: Certè corporis humani figuram in Nebucodozare verè commutatam esse in *bovinam*, hinc velle colligere, nimis ἀνακόλουθον est; nisi & *Aquilæ* aliarumve *avium* figuram induisse conclu-
dendum

dendum ſit ex eo, quòd *capillus ejus creverit ut plumæ aquilarum, & ungues ſicut avium*: certè in bovis conformationem hæc minimè quadrant. Ac reverà non eſſe mutatum corpus ejus humanum, in bruti alicujus animantis figuram, ex eo liquet, quòd *capillus* & *ungues* illi tribuantur. Quin & ſine nova transformatione corporis ad ſeſe reverſum eſſe Nebucodonozarem, patet ex eo quod ait, *Ego Nebucodonozar oculos meos ad cœlum levavi, & intellectus meus ſuper me reverſus eſt.* Nempe remotio quædam mentis accidit Nebucodonozari, quâ facultatis rationalis influxus in ſenſitivum corpus, ſeu animal humanum, rationi naturaliter in homine ſubordinatum, ad tempus ſuſpenſus fuit; ipſa ſenſitiva facultate interim mores geſtuſque belluinos imitante.

32. *Lycanthropiam Melancholiæ ſpeciem* faciunt Aëtius, Ægineta, & poſt illos Avicenna cit. loc. At certè plus quàm *Melancholia* propriè dicta eſt, poteſtque

ſtque non incommodè ob affectuum enormitatem ingentem cenſeri quædam ſpecies *Maniæ*, quæ quidem & ipſa Melancholia intenſior conſuevit haberi. Primarius non *cerebri* modò ſed & *præcordiorum* affectus meritò cenſetur.

33. Quamvis autem in hiſce laboret imaginatio, à qua depravata in conſenſum abripitur ratiocinatio; memoria tamen neutiquam oblæſa videtur: Liquet id ipſum ex Hiſtoria, quæ eſt apud Donatum ab alto mari de med. morb. cap. 9. *Quidam*, inquit, *qui me prius noverat, cùm detentus hoc malo eſſet, obviam mihi factus eſt; ipſe ego timens feciſſi: At ille modicum me aſpiciens abiit. Hic demum curatus liber evaſit: Qui cùm iterum mihi occurreret: nunquit timuiſſem interrogavit cùm in tali loco, cùm inſanus erat, eum offendiſſem.*

34. *Cauſa proxima* eaque *interna* Lycanthropiæ eſt craſſus ac fæculentus humor peculiari corruptione vitiatus, vel illius ſeu melancholiæ naturalis & aduſtæ

adustæ bilis miscella quædam, at peculiari malignitate seu occulta qualitate infecta: Nonnulli in atræ bilis & sanguinis redundantiam causam rejiciunt: Possunt autem diversi humores, ad naturam atræ bilis vergentes, dummodò peculiarem corruptionis ac malignitatis modum nacti sunt, mali hujusce causa existere: ipseque humor melancholicus adustus, secundùm varios adustionis gradus, & secundùm diversitatem dispositionis corporum, varios & mirificos effectus proferre solet, docente idipsum quoque Arist. probl. 1. s. 30. Ratione a. malignitatis vel proprietatis causæ, verè *divinum* quid seu *occultum* huic morbo inesse statuendum est.

35. *Causa remota seu externa*, quæ inter alia peculiarem ejusmodi dispositionem in corpore producere valeat, à nonnullis refertur *sanguis brutorum.* Ita refert Weinrichius lib. de monstris cap. 15. puellam quandam pro Epilepsiæ

lepsiæ curatione, ex persuasione alicujus, felis sanguinem, loco medicamenti hausisse; quo facto, puellam felis naturam eatenus induisse, ut per intervalla, quod illud animal solet, idem & ipsa imitata fuerit voce, saltu, gestu, cùm mures in silentio venaretur, in angustissimis etiam, quibus posset, foraminibus. Alia ibidem refertur Historia, de quodam, qui suillo sanguine pastus luto delectebatur ad fastidium usque. Sanè mirum non est, sanguinem, imprimis calentem & spirituosum, assumptum, ad indolem atque ingenium ejus unde promanavit inclinare, cùm partium quarumvis ac habitudinis totius quodammodò implicitam in se ideam habeat: Nec verò emphasi caret, quod passim in Sacris Anima dicatur in sanguine esse; ipseque sanguis dicatur esse Anima; quodque Deus usum sanguinis bestiarum severè prohibuerit. Viderint ergo quàm probè suæ valetudini consulant, qui farcimi-

farcimina ex ſanguine bubulo, ſuillo, aliove confecta, tam avidè devorant. *Cerebra* quoque animalium comeſta ad ejuſmodi mutationem inducendam facere creduntur.

36. *Cauſa externa* item, & quidem *procatarctica*, rationem habet *hyemalis anni tempeſtas declinans*: Oritur Lycanthropia potiſſimùm menſe Februario, referente Aëtio; ſeu, Avicenna teſte, menſe *Schubât*, (qui quintus Siro-Græcorum eſt, Februario reſpondens:) fortè ob peculiarem conditionem materiæ, quæ Autumno congeſta, ac hyeme reſervata, in fine hujus ſe exerit; vel initio Veris, ut Arculanus interpetratur, ſcilicet propter humorum, imprimis melancholicorum, abundantiam, qui Verè ineunte moveri ſolent, ex aph. 20. libr. 3. *Cauſis externis* item annumerari vult Mercurialis l. 1. pract. cap. 12. *Vitam flagitioſam* & *turpem*: rationem addit, quod omnes ii, qui leguntur hoc morbo laboraſſe,

borâsse, fuerint homines impurissimi.

37. *Effectus* hujus mali varii, ac verè horrendi sunt; eademque *signorum diagnosticorum* rationem habent. Prout enim Λυκάνθρωποι se verè in *Lupos* commutatos putant, (velut alii in *Canes*, alii in *Feles*, &c.) ita ferè nihil non quod Luporum naturam & indolem referat, in suis actionibus moribusque instituunt. Hinc omnes expertes humanitatis, consuetudinem hominum fugiunt, solitudines quærunt, mortuorum sepulchra & horridas speluncas sectantur, in quibus interdiu, tanquam μισάνθρωποι, atque lucis osores, se recondunt, quin & cadavera ipsa arrodunt: noctu per sylvas ac deserta loca divagantur, quò vadant nescientes, nec tamen quiescentes; Luporum ululatum imitantur; Cùm homines obvios vident, plerumque aufugiunt, vel ad eorundem occursum non attendunt, tumque in maxima mæstitia, metu ac solicitudine versantur;

tur; quandoque lupinâ rabie obvios invadunt, dentibus & unguibus eosdem impetentes; speciatim verò greges invadendi, dilacerandi, ac devorandi desiderio tenentur. Quin &, *Lupina* hæc *Melancholia* non rarò præbet balneum Dæmonibus: veluti in isto Homine, de quo est apud Lucam c. 8.

38. Præterea *signa concomitantia* sunt, facies pallida, oculi concavi, sicci, & intuitu debiles, lingua aridissima, sitis immodica: quæ quidem ingentem arguunt siccitatem cum calore conjunctam, quam utramque continua inquietudo auget: Tibiæ exulceratæ sunt, tum propter decubitum bilis atræ ad partes inferiores, tum ex frequenti per noctem earum partium offensione, casu, morsibus canum, & aliarum rerum molestarum occursu; ægrè autem consolidantur, propter motum continuum ac violentum, nec non acrium humorum affluxum, addo ipsam malignitatem.

PROGN.

PROGN. Morbus plus terroris habet, quàm periculi ad mortem: Diuturnus plerumque eſt; Ac quandoque poſt aliquot annorum ſpatium terminatur. Recidivæ autem metum ferè relinquere ſolet.

CURATIO eadem eſt quæ Melancholiæ à ſanguine multo, craſſo, & aduſto genitæ, ſeu, quæ maniæ eſſe ſolet. *Diæta humectans* ac *refrigerans* ordinanda; ac imperanda quies. Convenit frequens, & copioſus uſus *ſeri lactis*; itemque balneum aquæ tepentis. Somnus omnimodo conciliandus eſt. *Sanguis* copioſè, etiam in ipſa acceſſione, *detrahendus*; Et quidem ad animi deliquium uſque. *Purgationes* ſæpiùs iterandæ medicamentis validioribus. *Cor* interim & *Cerebrum* corroborandum, ſpirituſque recreandi ſunt, Cauterio ſynciput inurendum. Ipſeque æger *flagellis* quandoque & *verberibus* ad ſaniores cogitationes reducendus.

AUTOR LIBELLI,

Qui inscribitur

RELIGIO MEDICI

Sect. 29. pag. 100.

Non mihi verisimilia fiunt, quæ de humanis corporibus in Brutorum formas mutatis, narrari solent; nec Hominis in Equum transformandi potestatem habere Diabolum credo, qui ad divinitatem Christi arguendam saxa in panes mutasse voluit.

DISSER-

DISSERTATIO

De

SURDIS AB ORTU, MUTISQUE:

Ac illorum Cognitione.

HÆc mortalium in miseriæ hoc statu calamitas est, ut non modò in lucem natos Morborum ingens exercitus undiquaque infestet; sed & nascentes in utero non una Ægritudo corripiat. Mortis prænuncii satellites adsunt non rarò, dum vitæ primordia exurgunt; ac dum formatrix facultas hanc immortalis animæ machinam molitur, deformitas aliqua subinde, seu enormitas structu-

ræ, aliave præternaturalis diſpoſitio, functionibus officiens, jam inde ab ortu ſe miſcet: Quam equidem enormitatem partium, ſeu conſtitutionem earundem, naturæ legibus repugnantem, functioneſque lædentem, at à prima origine contractam, nonnulli ſcrupuloſiùs non tam *morbi* quàm *vitii* nomine appellandam cenſent, *morborum* appellationem non niſi perfectionis priùs habitæ defectibus ſervantes.

2. Id autem *vitiorum* genus, veluti varia paſſim corporis humani membra occupare deprehenditur; ita frequentiſſimè auditus organo obtingit: Quod dudum obſervatum ab Ariſtotele, qui idcirco Problem. 1. ſect. 11. peculiarem quæſtionem movet, *Cur Senſuum maximè auditus ab ortu offendi queat?* Ac conſiderationi ſubjicit, an fortè ratio ſeu cauſa hæc ſit, *quòd auditus & vox ab uno eodemque principio videantur proficiſci? Locutio autem*, inquit, *quæ vocis ſpecies eſt, fa-*

eſt, facilè depravari poſſe videtur, eademque perfici difficillimè poteſt: cujus rei indicium eſt, quòd poſteaquam nati ſumus, diu muti exiſtimus, (initio namque nihil omnino loqui poſſumus) deinde balbutire tandem incipimus: Cùm itaque facilè perverti locutio poſſit, ſitque idem principium audiendi quod eſt loquendi, (vox enim quædam audiendi quoque primordium eſt, inquit,*) ſequitur ut quaſi per accidens, non per ſe, omnium ſenſuum facillimè auditus corrumpi poſſit. Argumentum autem,* inquit, *facilè omnino loquendi principium deſtrui poſſe, vel ex cæteris animantibus accipere licet: nullum enim loqui ex cæteris poteſt; ſed homini tantùm facultas hæc data eſt, & hic tamen ſerò, ut dictum eſt, loqui incipit.*

3. Circa hanc conſiderationem Ariſtotelis tria nobis perpendenda proponemus: 1. Rationem ipſam, quâ ſtatuit *facillimè lædi ab ortu Auditum, præ reliquis ſenſibus*, quòd nempe facillimè lædatur locutionis, ſeu articulati ſer-

monis principium, utpote quod idem ſit principium ipſius auditus: adeoque, auditum ab ortu lædi, non per ſe, ſed quodammodò per accidens, ſcil. propter læſum commune locutionis atque auditus principium. 2. Conſiderabimus id, quod ex illa ratione conſequitur, ſcil. *non lædi auditum ab ortu, quin etiam locutio ſeu articulata vocum enunciatio lædatur*, utpote cum ipſo auditu ad commune aliquod principium pertinens, quo læſo utramque lædi neceſſe ſit. Quam utique ſequelam uſque adeò ratam habuit Ariſtoteles, ut lib. 4. Hiſt. anim. cap. 9. deſertè pronunciet, *Qui ſurdi ab ortu ſunt, eoſdem etiam mutos eſſe: vocem ergo emittere poſſe, locutionem autem nullam*. 3. De *cognitione eorum, qui ſurdi nati ſunt*, itemque *via* ſeu *modo cognitionis eorundem*, Diſquiſitionem ſubjungemus. Ac denique. 4. Circa *Rationem* ac *Loquelam Brutorum Animantium* nonnulla contemplabimur.

SECTIO

SECTIO I.

Cur facillimè, præ reliquis sensibus, Auditus ab ortu lædatur?

4. Quod *pcimum caput* attinet. *Commune* quidem *principium* aliquod *auditus* & *locutionis* constituit Aristoteles: At quodnam illud, vel quale sit, haud satis declarat: Dicit quidem, vocem quandam audiendi quoque principium esse (velut & loquendi;) sed dicit item auditum ac vocem ab uno eodemque principio proficisci videri. Ac est quidem vox materiale sermonis principium, quatenus ex voce articulatus sermo formatur; velut eadem vox principium est quo in actum suscitatur auditus, seu per vocem habet esse auditus in actu, ut mentem Aristotelis exponit Petr. Apponensis.

5. Sed hoc principium nondum expedit negotium: quæstio enim manet, cur, ubi vel vox adest, in surdis tamen non excitetur auditus? &, ubi

vel vocem emittunt muti, vel ipsa etiam animantia bruta, loqui tamen nequeant, vi communis illius principii? quin &, cur, dum auditum quidem habent infantes, loqui tamen non possint ejusdem communis principii beneficio? Nempe causa particularis, hinc læsi auditus, hinc vitiati vel impediti sermonis, utrinque in ipsis organis quærenda est; quorum vel intemperies, vel vitiata conformatio, vel continui solutio, vel conveniens spirituum animalium influxus ex quocunque nervi vitio denegatus, functionem lædit: An autem fortè aliud commune aliquod principium sit, nimirum à nervorum communione pendens, inferiùs videbimus.

6. Cur autem recens nati mox auditu polleant, non tamen illicò loquantur, seu articulatam vocem proferant, ratio hæc est, quòd plus requiratur ad formandum sermonem, seu loquendum, quàm ad percipiendum

dum sonum seu audiendum. Auditus einm merè passivè se habet, ipsoque sono appellente ad organum auditus, (quod est ipse nervus auditorius, ad meatus auditorii interiora expansus, convenientem partium ad aurem tum internam tum externam attinentium dispositionem præsupponens) illico repræsentatur sonus : at non similiter dum vox eliditur, illico formatur sermo, vel loquela efficitur, neque hujus ratio in mera passione consistit.

7. Animantia bruta, quæ pulmonem asperamque arteriam habent, vocem quidem emittere valent, secus atque alia animantia, quæ non nisi sonos stridoresque movent; at non ideo loqui possunt. Delphinus, inquit Aristot. 4. Histor. Anim. cap. 9. pulmonem & arteriam habet, proindeque nonnihil vocis potest promovere; linguâ tamen liberâ absolutâque caret, & labris quibus vocis aliquem possit

articulum efformare, unde ſtridet duntaxat mutitque.

8. Quin imò, quæ labia habent, linguamque liberiorem, ita ut vel articulum aliquem queant efferre (velut oviculæ βῆ, boves aut vaccæ μῦ, &c.) non tamen in varios articulos illico queunt vocem inflectere; deeſt enim paſſim brutis talis organorum apparatus, quo articulatæ voces conficiantur, formenturque: quamvis nonnulla animantia bruta reperiantur, quæ verba voceſque humanas imitari valeant: de quibus inferiùs videbimus.

9. Infantes verò ac pueri, quamvis ſufficientem à natura organorum apparatum nacti ſint, ad articulatæ vocis enunciationem, nondum tamen organorum eorundem uſum ſibi familiarem reddiderunt, ad ſermonem ritè formandum: Exercitio enim, indeque contracto habitu, opus eſt ad facilem expeditamque loquelam: non ſecus atque habitu demum comparato, ex-

to, expeditè organum aliquod musicum digitis pulsatur.

10. Præterquam quòd organa infantum imbecilliora adhuc sint, demumque suum robur consequantur naturâ seu calido innato sensim humiditatem supervacaneam absumente. Atque ita rectè Aristot loc. proximè cit. Pueri, inquit, ut cætera sua membra continere ac regere nequeunt, sic etiam linguę primùm impotentes sunt, suntque imperfecti, ac seriùs absolvuntur: itaque magna ex parte balbutiunt, tortique linguâ sunt. Atque hinc certè propriè *Muti* dici infantes non possunt, utpote cùm privatio non cadat nisi in subjectum quod sit ipsius habitus capax: propriè autem *Muti ab Ortu* dici possunt ii, qui ab ipsa nativitate talem organorum dispositionem nacti sunt, quæ ne quidem crescente ætate ad loquelam apta evadat.

11. Cæterùm homini soli ea ratio organorum, linguæ, palati, labio-

rum, dentium, gutturisque, conceſſa eſt, ut habitum ſibi comparare queat, quidvis ſermone efferendi. Quamvis & hîc varietas magna ſit, ratione tractuum & regionum, ut non omnibus æquè expedita ſit omnium literarum, aliis nationibus uſitatarum, pronunciatio: ita Orientalibus nationibus literæ gutturales propriæ ſunt; ac inter eos Arabibus alia quædam litera, non gutturalis, *Dad* dicta, (quæ valet quaſi *ddsh*) ita peculiaris eſt, ut ejus pronunciatione à ſua gente diſtinguere valeant quaſvis omnino exteras nationes, licet vel diutiſſimè inter ipſos commoratas, unde & Arabes ab hujuſce literæ pronunciatione denominant, velut cùm dicunt Muhammedem eloquentiſſimum fuiſſe omnium qui loquuntur literâ Dad, id eſt, Arabum. Id Europæis Linguis idem paſſim obvium eſt: Difficile namque eſt Gallis pronunciare G Germanorum, quod æquivalet ipſi Kef punctato Per-
ſarum

ſarum vel Turcarum; hinc nec Belgarum voculam *Tang* proferre ipſis facile eſt: Similiter in aliis.

12. Quod ergo rationem ſeu cauſam ipſam attinet, *Cur præ reliquis ſenſibus facillimè auditus ab ortu lædatur*, ea nequaquam in commune aliquod auditus ac locutionis principium referri poteſt, utpote cùm tale principium ne quidem ſufficiens ſolius auditus principium haberi queat, ſeu non niſi objectivè ad ſenſum auditus ſe habeat, ſaltem in cenſum cauſæ efficientis, quâ fiat vocis aliqua perceptio, nequaquam queat venire: Alia itaque omnino ipſius quæſiti ratio ſeu cauſa inveſtiganda eſt, ſi quidem ſimpliciter verum habendum ſit, *auditum præ reliquis ſenſibus facillimè lædi ab ortu.*

13. Ratio autem illius rei genuina petenda videtur à tortuoſa, verèque labyrinthea auris, præſertim internæ, ſtructura; quæ facilè pervertatur, aut obſtruatur; ad quam interim tenerior

nervus itinere ſatis tortuoſo ingreditur, qui & ipſe facillimo negotio afficitur; nec non à colluvie humorum, ad eam partem imprimis à madido cerebro decubentium.

14. Poteſt quidem & ipſum tympanum ab ortu craſſius eſſe, vel muco ſeu craſſiore quocunque humore obductum eſſe; vel poteſt meatui auditorio obtendi alia quædam craſſior membrana: ſed quibus id accidit, ii auditus difficultate ferè duntaxat laborant, ac ſaltem per os ipſum utcunque ſonum percipiunt, cujus rei rationem in progreſſu deſignabimus. Quandoque item ſingularis quædam ſtructuræ deformitas poteſt adeſſe, ad fauces ſimul atque palatum pertingens, quâ fit quòd ſurdi vocem per nares emittere ſoleant, ut eſt apud Ariſtot. Probl. 2. & 4. ſ. 11.

SECTIO

SECTIO II.

An, qui Surdi ab Ortu ſunt, itidem ſint Muti.

15. SEcundum Caput porrò luſtrandum eſt, quod ex priori conſequi videtur, quodque ab Ariſtotele ratum habetur 4. Hiſtor. anim. cap. 9. nempe, *Eos, qui Surdi ab Ortu ſunt, etiam Mutos eſſe.* Hoc veluti ab Ariſtotele ex ratione prioris aſſertionis, præter rationem allatæ, diductum atque propoſitum eſt, ita à multis paſſim, etiam Medicis ipſis, ceu univerſaliter verum, eſt admiſſum, abſque ulteriori veritatis inveſtigatione, aut diſcriminis diſquiſitione. Hinc *omnes ſurdos à nativitate eſſe mutos* (ut eſt itidem apud Sanctor. comm. in Art Medic. Gal. part. 2. quæſt. 41.) citra ullam exceptionem præſupponentes paſſim, in cauſam duntaxat rei ſuppoſitæ, ceu veræ citra controverſiam, inquirunt. Nos antequam cauſam inveſtigemus, cur id

cur id non rarò accidat, thesin ipsam priùs excutiemus propiùs.

16. Equidem, si per *Mutos* intelligamus tales, qui organa nacti sint ad formandam articulatam vocem per se inepta, falsum omnino est, omnes qui surdi nati sunt, etiam mutos esse: Non enim illico ubi auditus deest, ineptitudo organorum adest ad sermonem proferendum. Ubi enim surditas pendet non tam à vitio quod auditui ac locutioni commune sit, (quod quandoque contingere diximus) quàm à vitio potiùs ipsi adæquato organo auditus peculiari, (cujus ut variæ partes sunt, ita variæ læsiones esse possunt, auditum pervertentes,) non illico impotentia loquelæ est: Quid ni verò veluti post nativitatem quandoque læditur auditus, salvâ loquelâ, similiter in nativitate ipsa, seu ab ortu primo, similis constitutio organorum potest obtingere, quâ quidem apti sint ad formandam locutionem,

locutionem, inepti interim ad audiendum?

17. Experientia ipsa hîc consulenda est, quæ sanè testatur, etiam eos, qui surdi nati sunt, posse discere loqui: Ita refert Valles. Philosoph. Sacr. cap. 3. quendam *Petr. Pontium, Monachum Sancti Benedicti, amicum suum, natos surdos docuisse loqui, non aliâ arte, quam docendo primùm scribere, res ipsas digito indicando, quæ characteribus illis significarentur, deinde ad motus linguæ, qui characteribus responderent, provocando.*

18. Quòd si verò per *Mutos* intelligamus eos, qui cùm organa formando sermoni idonea nacti sunt, linguam tamen nullum callent, nec vocabula sensus animi conceptos exprimentia didicerunt, verum omnino est, plerosque qui *Surdi nati* sunt, etiam *Mutos* esse, qui nempe prædicto artificio, vel simili, linguam aliquam, seu significativum sermonem, docti non sunt.

19. Quod

19. Quod ergo *Causam* attinet, *Cur, qui surdi nati, etiam muti sint*, (plerumque saltem:) Albertus Magnus quidem lib. 4. de Anim. tract. 2. cap. 2. *Surdos à generatione etiam Mutos esse*, ait, *quia idioma per auditum discere non potuerunt*. Hanc sententiam calculo suo comprobat Sanctor. in Art. Medic. Gal. part. 2. quæst 41. Ac Barthol. Anatom. libr. 3. cap. 9. Surditatis causam referens in ipsum tympanum, qui eâ à nativitate laborant, mutos simul ut plurimùm manere, inquit, *quia voces inauditas nec animo concipere, nec linguâ proferre possunt*.

20. Sed sententiæ huic se opponit Laurent. Anatom. libr. 11. quæst. 11. ubi, vulgare illud non probo, inquit, ideo obmutescere surdos, quia idioma nullum addiscere potuerunt, & quia auditus sensus est disciplinæ: Nam si ideo tantùm obmutescunt surdi, inquit, 1. Cur gemitus & suspiria, quæ pathemata sunt naturalia, difficulter edunt?

edunt? 2. An non, ut primi rerum inventores, verba & dictiones fingerent surdi, quibus animi sensa & conceptus exprimerent, si eas proferre possent?

21. Equidem ad prius Laurentii argumentum responderi potest, falsum esse, surdos gemitus & suspiria difficulter edere: utpote cùm surditas, quæ vel ab ortu est, nullo modo cum partibus respirationi inservientibus communicet. Deceptus autem videtur Laurentius eo ipso, quòd dicat Aristot. Probl. 4. sect. 11. *surdos violentiùs spirare:* quo utique non intelligit Aristoteles *violentam* seu *difficilem respirationem*, quæ pulmonum ac thoracis est; sed *vehementem per nares spirationem*: unde addit, meatum narium spiritus ductu laxiorem reddi, indeque fieri ut nisi per nares loqui non possint. Atque ita dicit ibidem Probl. 2. Surdos prope abesse quin muti sint; mutos autem *per nares vocem* extrudere: eò namque, inquit,

inquit, ſpiritus illorum compellitur, quia ore compreſſo ſint.

22. Nempe, ubi ineptitudo quædem ad loquelam ſurdis adeſt, ob vitium aliquod ad palatum ſimul atque ad organum auditus attinens, ejuſmodi per nares ſpiratio vehementior accidit: cùmque ob laxitatem meatus narium ſpiritus talibus ad nares deflectat magis, citra nares quidem ore ipſo vocem elidunt ſpirabundam, ut de Elephantis loquitur Ariſtot. 4. Hiſtor. anim. cap. 9. at per nares ſimile tubarum raucitati ſonant.

23. Ad alterum argumentum Laurentii poteſt reponi: Quamvis natura hominem, licet ſurdum, ratione armârit ad inventionem; non eſſe tamen vulgaris ſapientiæ nomina rebus imponere, docente Platone, multòque minùs cujuſvis eſt, concinnum formare idioma vel linguam peculiarem, ad ſenſa animi efferenda.

24. Qui primus suas rebus appellationes imposuit, nempe Adam, integer fuit, atque in statu innocentiæ supernaturali, seu quæ corruptæ naturæ captum excedit, sapientiâ instructus; Linguarum variarum confusio postmodùm supernaturaliter ab ipso Deo immissa est, in ædificatione turris Babel; ac deinceps porrò idiomata varia sensim per Linguarum miscellas subrepsêre, vel aliter quomodocunque usu ac tacitâ consensione hominum subnata sunt. Interim inveniunt reverà modum muti, sermonis analogum, quo sensa animi aliis, non minùs ac si sermone uterentur, exprimere valent, ut suo loco dicemus.

25. Sed credat fortè aliquis, si iis, qui surdi nati sunt, esset saltem aptitudo organorum, quâ sermonem possent proferre, fore ut linguâ aliquâ nativâ, seu sermoue ab ipsa natura promanante, uterentur: Cùm enim sermocinatio homini essentialis sit, ipsam

nimirum

nimirum rationem consequens, sicubi organorum aptitudo adsit, sermonem externum abesse non posse, verisimile videtur. Ad quod respondemus, ipsam quidem sermocinandi facultatem, quâ nempe per signa quæcunque vocibus elata, animi conceptus declarari queant, homini essentialem esse; at rerum nomina, adeòque linguas ipsas, seu idiomata sermonum, non esse à natura, sed doctrinâ, exercitio, ac consuetudine, hauriri.

26. Et sanè, si quis sermo certus à natura dependeret, utique velut omnibus humani generis individuis una eademque natura est, ita omnibus omnino nationibus unus idemque foret sermo. At contrarium testatur experientia. Ut adeò inepta planè atque insulsa sit opinio eorum, qui in Philosophia rudes, persuasum sibi aliisque volunt, si quis ab infantia nullum omnino doceretur sermonem, sed sibi relinqueretur, fore ut loqueretur Hebraïcè,

braïcè, ſermone ſcilicet hoc uteretur ab ipſa humana natura proficiſcente.

27. Rectè Valleſius cit. loc. phantaſticæ huic opinioni regerit: Si ſine doctore, ut alia quàm plurima, innaſceretur ſermo iſte hominibus, innaſceretur profectò etiamſi alium ſermonem diſcerent, eſſentque omnes duplicis ſermonis. Si enim ſermo, quem priùs homo didicit, non prohibet quò minùs diſcat alium denuò, ſed ſciunt multi bifariam, trifariam, aut etiam quadrifariam loqui; multò minùs prohiberi poſſet, qui ex ipſa natura pullularet, ab eo qui eſſet comparatus ſtudio.

28. Quin potiùs, ſi unus ſermo hominibus eſſet naturalis, non poſſent eſſe ad alios omnes dociles: quia quod intus manet, prohibet extraneum: Ut ergo natura fecit hominem prorſus inertem, quò eſſet ad omnes artes habilis; neceſſe eſt fecerit omni ſermone carentem, quò poſſit omnes diſcere. Vi-

re. Videmus etiam plures homines ad alios multos sermones habiliores, quàm ad Hebræum; quinimò plerosque Europæos difficulter nonnullos Hebraïcos sonos ritè enunciare; quod quidem nullatenus fieri posset, si Hebraïca Lingua hominibus naturalis esset: nam in id quod naturale rebus est, sponte res ipsæ feruntur.

29. Concludimus ergo, eos qui planè surdi ab ortu sunt, licet vel organa sermoni efferendo apta nacti sint, quod frequenter contingit, plerumque tamen mutos esse, hoc est, voces significativas proferre non valere, ideò, quia idioma per aures discere non potuerunt: rarissimum namque est, artificio peculiari (quali Petrum Pontium fuisse usum superiùs ex Vallesio retulimus,) eos sermone doceri.

30. Cæterùm Laurentio interim nequaquam refragamur, sed adstipulamur omnino, aliam nimirum reddenti causam, *Cur surdi ferè omnes muti sint*,

sint, aut saltem ægrè loquantur, à nervorum communione desumptam. Hanc nempe nos alteram causam facimus; cur, qui surdi nati sunt, sint itidem muti, & quidem ita muti, ut planè sint inepti ad vocem articulatam formandam. *Communio* autem illa *novorum* nequaquam in eo quærenda est, quòd nervus quintæ conjugationis, qui auditorius est, & sextæ conjugationis nervi, qui sermonis sint, (septimæ potiùs, hic enim linguæ est,) antequam dispertiantur in partes proprias invicem conjuncti sint, ut vult Petr. Apponensis in explicatione propositi Probl. vel quòd prædicti nervi in exortu eâdem investiantur tunicâ, quæ aliorum sententia, non minùs autopsiæ repugnans, utriusque enim conjugationis prædictæ nervi intervallo sat longo, etiam in exortu, distare deprehenduntur; ac dici nequit communi tunicâ eosdem indui, nisi fortè quâ omnes nervi induuntur, scil. piâ

meninge: Ex qua quidem longè quæsita communione inferendum similiter foret, surdos item cæcos esse, ac cæcos esse mutos.

31. Sed *communio* illa *nervorum* rectè designatur à Laurentio, (quæ item exprimitur à Bauhino lib. 3. Anatom. cap. 22. & 60. aliisque) quod nervus quintæ conjugationis (auditorius vulgo dictus,) varios de se promat surculos; quorum major in aurem & membranam exquisitissimi sensus expanditur, & sonorum omnes species ad cerebrum defert; minor ad linguam & laryngem excurrit, ibidemque cum septima conjugatione implicatur.

32. Ob hanc ergo vasorum communionem, inter aures ac linguam laryngemque sympatheia existit, ipsique affectus partium facilè invicem communicantur. Hinc vellicatâ auris membranâ, tussis sicca resultat, cujus meminit Avicenna: Hinc *surdi ferè omnes*, saltem ii quibus surditas à malè affecto quinti

quinti paris nervo oboritur, *muti sunt, aut saltem ægrè loquuntur*, hoc est, ineptitudinem habent, ob negatum spiritus animalis convenientem influxum, ad voces ritè formandas, atque articulatè proferendas; velut & hac de causa surdastris vox ferè rauca existit.

33. Similiter, si quæ mala conformatio accidat, communiter ad auris interioris structuram ipsumque palatum attingens, (quâ vocem per nares emitti superiùs ex Aristotele diximus,) surditas inducitur, simulque oblæditur locutio, ipso nimirum organo locutionis vitiato, non verò simpliciter quod idioma per aures addisci non queat. Econtra verò, si sola structura auris interioris vitiata sit, vel quinti paris ea sola propago, quæ ad aurem fertur, præter naturam afficiatur, læditur quidem auditus, seu surditas oboritur, at sermo non nisi per accidens impeditur, quòd nempe vo-

ces audiri percipique cum nequeant, non addiſcantur.

34. Specialis caſus eſt, ſi vitii tympani, vel propter obductam peculiarem membranam, lædatur auditus: hoc namque caſu non tam ſurditas plenaria, quàm audiendi difficultas, adeſſe ſolet, ad ſurditatem proximè accedens. Solent autem hoc caſu ſurdaſtri per os ipſum auſcultare, ſeu ore hiante voces ac ſonos excipere, ipſumque ſermonem quem auditu addidicerunt, organis locutioni inſervientibus abſque læſione pronunciare; adeòque muti nequaquam ſunt.

35. Per os autem ſonus ad interiora auris, ſeu ad ipſum auditus organum, dimanat beneficio *canaliculi cartilaginei*, qui à ſecundo auris meatu ad os & palatum fertur, excrementis ab aure in os tranſmittendis, aquæ ductus inſtar, dicatus. Hujus *canaliculi* beneficio contingit, quòd utrâque aure obturatâ proprium ſermonem exactè percipiamus,

mus, quodque ita, si baculo dentibus apprehenso instrumenta musica contingamus, exquisitiùs eadem pulsari audiamus; ac cupientes scire noctu an aliquis adveniat, baculi extremo altero in terram defixo, altero verò dentibus apprehenso, è linginquo audiamus exquisitiùs.

36. Per eundem *canaliculum*, dum nares emungimus, vel spiritum ore naribusque compressis cum conatu impellimus, aërem aures subire percipimus, quo tympani membrana etiam cum sonitu extrorsum feratur, ac ubi vis major est, aliquando lædatur: per eundem Nicotianæ fumum plenis buccis collectum per aures fumibibuli emittunt, ut spirare per aures videantur. Unde saltem ridiculum nequaquam est, quòd Alcmæon capras spirare per aures arbitratus sit, apud Aristot. 1. Histor. anim. cap. 11. Medicis saliem hic ductus insinuat, in aurium affectibus internis masti-

catoria usum non contemnendum habere.

SECTIO III.

De Cognitione eorum qui surdi nati sunt.

37. ANtequam ad tertium Caput eorum, quæ circa Problema propositum excutienda occurrunt, deveniamus, circa *Surdos ab Ortu* contemplatio ulteriùs aliquanto extendenda, videndumque quanam *Cognitione* tales imbui queant, cùm per auditum scientiæ magnam partem hauriri soleant.

38. Primùm igitur *Surdis ab Ortu*, quibus quidem integra est visiva facultas, omnium rerum visibilium, quà talium, cognitio obtingere potest, earumque conceptus universales per mentis abstractionem hîc non minùs, quàm ubi auditus adest, formari possunt: Ac præterea à rebus visibilibus ad invisibilia Dei, per naturale intellectus lumen, cognoscenda, hisce non minùs,

minùs, quàm hominibus universim, datur accessus: ut æquè inexcusabiles haberi debeant, si Deum non glorificent; eique gratias agant, atque alii quivis, de quibus Apostolus ad Rom. 1. ℣. 20. 21.

39. Insuper verò, si vel *cæci* itidem nati sint ipsimet, qui *à nativitate surdi* sunt, utique quantumvis plurimarum rerum, quæ sub sensus cadunt, cognitione priventur, nec similiter ut priores per externum Naturæ librum in Dei cognitionem devenire queant; per insitas tamen menti suæ notiones ad qualemcunque tum sui ipsius, tum & ipsius Dei cognitionem possunt assurgere: Ac verisimile omnino est, in talibus, ubi intellectus per phantasmata minùs abripitur ad rerum corporearum contemplationem, quàm maximè in actum exurgere insita menti ipsorum semina cognitionis rerum divinarum ac immaterialium; veluti & nos ipsi eò magis apti sumus rerum di-

vinarum investigationi atque contemplationi, quò minùs pet objecta externa, indeque formata phantasmata, abducimur in avia.

40. Certè neutiquam rationi consentaneum existit, rationalem animam, seu mentem, in talibus omnino feriari, ac quasi somno vel torpore consopitam delitescere, nec æquè pro suo modulo in Numinis supremi cognitonem ex insiti luminis conditione vergere, atque Angeli cælestes & Dæmones, cum & ipsa ordini Intelligentiarum accensenda sit, (utut sit fortasse in censu Intelligentiarum infima,) sitque reverà ob visus auditusque defectum, minùs materiæ seu functionibus materialibus immersa.

41. Sed quid de eorum, qui *surdi nati* sunt, *cognitione in rebus mysteria salutis nostræ concernentibus*, sentiendum? Hæc utique cùm universâ ratione, tum humanâ, tum Angelicâ, sublimiora sint, per insitas intellectui notiones erui

erui atque cognoſci neutiquam poſſunt: Cùmque fides ex auditu ſit, teſte Apoſtolo, ubi hic deficit, fidem adeſſe non poſſe, adeòque nec ſalvificam cognitionem, veritati fortè ſimillimum videtur: Cùmque ſine fide nemo ſalvetur, conſequentia manifeſta eſt.

42. Dura profectò ſententia hæc eſt, quæ animum percellit! Sanè dum ſurdi ab ortu non magis ſuâ culpâ media amplectendæ ſalutis negligunt, quàm & ipſi infantes, (de quibus tamen mitiùs ſentire nos monet ſ. pagina,) quæ ratio, quæſo, cur ſtatuamus, Deum illis, prognatis quidem à fidelibus parentibus, ſe minùs miſericordem præbere, quàm & ipſis infantibus? (de quorum fide ſeu fidei ratione Theologis diſquirere relinquimus.) An fortè, dum ex genere humano per lapſum corrupto Deus pro ſuo beneplacito, nonnullos elegit vaſa miſericordiæ, nonnullos iræ, inter iræ vaſa præcisè repoſuit omnes qui

ſurdi naſcuntur? atqui non minùs hoſce, quàm alios infantes, ex fidelibus parentibus prognatos, promiſſio Dei ipſumque fœdus concernit.

43. Potiſſima equidem fidei cauſa ipſemet Spiritus Sanctus eſt, qui eam in cordibus noſtris operatur per prædicationem verbi, adeòque per auditum. Hæc ordinaria Dei via eſt, quam nos ſectari Deus jubet: Hanc qui negligit ſuâ culpâ à fide excluditur. At interim huic viæ unicæ nequaquam ipſe Deus alligatur. Vias ille extraordinarias novit, quam mens noſtra non capit, quaſque ipſemet nobis aperire noluit. Aperuit ſaltem viam ſingularem, quâ Paulum adduxit ad fidem Chriſtianam, atque ex perſecutore Eccleſiæ fecit Apoſtolum, Actorum 9. Aperuit item aliam viam, quâ, ex parte ſaltem, convertit Dynaſten Candaces Reginæ Æthiopum, Actorum 8. nempe per Verbi Divini lectionem.

44. Et

44. Et sanè, an nullos ad salvificam fidem adduci existimabimus, ubi non viget publica Divini Verbi Prædicatio? ac ubi adeò per auditum nihil animæ conciliatur notitiæ spiritualis? an ex lectione sedula piorum nequaquam animis, (cooperante Spiritu Sancto) ingenerari fidem statuemus? Quòd si ergo & hæc via præter auditum est, quidni alias item, nobis incognitas, Deus aperit subindè, ut saltem ad auditum hominum suam ἐνέργειαν ipse non adstringat.

45. Videamus verò, an non in natura ipsa media alia à Deo constituta sint, præter auditum, per quæ *Surdi ab Ortu* Sacrorum Mysteriorum cognitionem, quæ ad salutem sufficiat, haurire possint. Nulla quidem necessitas est, cur sermo, qui per auditum acquiri solet, scriptionem præcedat; sed ob facilitatem potiùs sermo prior esse solet, quòd nempe qui nullo sensu orbati sunt, habiliores sint ad loquendum

quàm ad ſcribendum: Ubi verò auditus deficit, à ſcriptione initium fieri poteſt, atque per ſcriptionem deveniri ad ſermonem: ut exemplo ſuperiùs ex Valleſio citato manifeſtum eſt. Eſt autem ſermo externus nuncius quidam ſeu imago potiùs ſermonis interni, ſeu ipſius intellectus: *Scriptione* igitur in iis, qui *ab Ortu Surdi* ſunt, animus imbui poteſt notitiâ rerum, quæ ab aliis, in quibus ſenſus omnes ſunt integri, per auditum haurirentur; poſſuntque adeò illi ſcripturam habere loco ſermonis, aliàs per auditum hauriendi; acciditque illis, ut loquitur Valleſius Phil.Socr. cap. 3. *rerum divinarum notitia ex viſu, ut aliis ex auditu; cujus*, inquit, *ego rei teſtis ſum, in diſcipulis illis amici mei*, ſcilicet Petri Pontii, qui natos ſurdos docebat primùm ſcribere, ſeu rerum quas animo complexi erant conceptus ſcriptione exprimere, ac deinde loqui.

46. Eadem verò ratio obtinet in iisdem, ſcil. *ab ortu ſurdis*, ſi vel ſimul exiſtant *Muti*; poſſuntque æquè per ſcriptionem notitiâ rerum imbui, licet nullus ſermo externus ſcriptionem ſubſequatur: ſermo quippe hominum non facit ad notitiam ipſis comparandam; ſed duntaxat ad conceptus animi communicandos aliis. Exemplo res manifeſta eſt ex Fel. Platero, qui Obſ. libr. I. (pag. 118.) refert, *Surdum quendam* & *mutum ab ortu* nihilominùs cretâ in tabella, quam ſecum continuè geſtabat, animi ſenſum depingere, & ab aliis ſcripta in ea notare, potuiſſe.

47. Velut autem *ſcriptio* ac rerum ſcriptarum *lectio*, loco ſermonis eſſe poteſt, quâ viſui conceptus animi repræſententur, non ſecus atque per ſermonem auditui; ita & *alia indicia* fieri poſſunt, ſermonis externi æmula, atque ſuccedanea auditus: qualia certè ea ſaltem habenda ſunt, quibus ipſi muti utuntur paſſim loco ſermonis, ac

quibus aliorum ſenſa animi excipiunt. Docet enim experientia, ſuntque exempla etiamnum inter nos obvia, mutos ab ortu ſurdoſque per *geſticulationes* quaſdam, varioſque partium corporis motus, aliis, quibuſcum conſuêvere converſari, animi ſui conceptus non minùs expeditè ac clarè exprimere, ac ſi ſermone uterentur; ſimiliterque per ſimiles geſticulationes aliorum ſenſa animi evidentiſſimè percipere.

48. Complures *ejuſmodi mutos* in ſua aula alit Turcarum Imperator, qui non aliter geſticulationibus atque externis ſignificationibus variis, conceptus animi invicem exprimunt, ac nobis per ſermonem externum ſignificare noſtra animi ſenſa, atque aliorum intelligere, datum eſt. Quin & ipſe Turcarum Imperator, ejuſque Aulici, hoc ſermone per geſtus adumbrato, delectantur, eique plerique ſtudium ſuum in addiſcendo ſolent impendere.

49. Omnes

49. Omnes illos *Mutos* aliquando ad convivium invitaverat Illustris Ordinum Confœderati Belgii ad Portam Imperatoris Turcici Legatus, Cornelius Haga, (ut ex relatione Nobil. & Ampl. D. Brinckii, Consulis Harderviceni, p. m. olim notavi :) ubi cùm vox nulla audiretur, varia tamen commutabantur colloquia, ut in aliis conviviis fieri assolet, quæ per interpretem hinc inde ipse Legatus cognoscebat, quo item mediante cum mutis ipse de rebus quibusvis colloquebatur.

50. Ipsæ autem illæ *significationes* rerum, quibus utuntur muti, similiter atque noster sermo, non à natura sunt, sed ab instituto ipsorum, unde & studio atque exercitatione addiscuntur. Quamvis interim ferè pleræque aliquem externum modum rerum, quas indigitant, adumbrent, veluti cum digitis unius manus extremâ parte ad invicem compositis, ac naribus admotis, florem designant. Saltem, non simili-

ſimiliter ut Linguæ variant apud diverſas nationes, videntur mutorum ſignificationes, quæ ſunt quaſi ſermo ipſorum, adeò diverſæ eſſe, quin fortè Turcæ & Belgæ ſe queant invicem in multis intelligere.

51. Ut verò geſticulationibus ſuis ſe invicem muti, alioſque qui ſimili ſermone analogico apud ipſos utuntur, accuratè atque expeditè intelligunt; ita & non pauca ex aliorum, qui ſermone vero utuntur, geſtibus, labiorum motu, ſimilibuſque aliis, percipiunt, animique conceptus quandoque magnam partem per talia externa cognoſcunt. Sic refert Platerus loc. ſup. cit. *Narrâſſe patrem ſuum, illum ſurdum ac mutum ab ortu, de* quo paulò antè, *cùm Oecolampidium, concionantem, magno cum Zelo audiret, ex motu labiorum & geſtibus ipſis multa potuiſſe intelligere, uti etiam ex aliis.*

52. Ac eſt in noſtra hac urbe Groningana etiamnum hodie ſimilis *ſurdus* ac *mu-*

ac *mutus ab ortu*, ingeniosissimus pictor, qui diligentissimè conciones sacras frequentat, ac intentis oculis verba Concionatorum quasi contemplatur, ut visu eadem haurire videatur, velut alii auditu. Hic cùm ad sacram Synaxin admitti impensè desideret, nullus dubito, quin habeat divinarum rerum, salutem concernentium, eam notitiam, ut non absque conscientiæ scrupulo arceri queat. Quamvis putem in ejus cognitionem confessionemque inquirendum, interprete uxore ejus, vel famulo, quem à latere habere solet, qui expeditissimè cum ipso de rebus quibusvis per signa colloquuntur.

53. Unum exemplum ex Phil. Camerarii Horis subcisivis, quod extat Cent. 1. cap. 37. lubet subnectere: *Apud nos* inquit, *habemus adhuc adolescentem & virginem, ex iisdem parentibus, & quidem celebri & honesto genere prognatos, qui peculiari acumine ingenii sunt præditi. Et licet mutos & surdos eos ambos na-*

hos natura procreavit, tamen uterque scitè legere & scribere elegantissimè, nec non & rationes mercatorias computare potest. Ut autem hic ex nutu quæ sibi facienda sunt dextrè percipit, & si deest calamus, gesticulationibus suas cogitationes exprimit, nec non & in omnibus aleæ lusibus, qui apud nos usitati sunt, & non sine accurata ratiocinatione perfici possunt excellit; ita illa acu, & ingeniosâ texurâ alias puellas facilè superat. Inter cæteras autem mirificas dotes, quas illis natura compensavit, memorabile est, quòd ex motu labiorum interdum percipere videntur, quid aliquis loquatur. Unde videas eos conciones sacras sæpissimè frequentare, ut aliquis non absurdè dicere posset, videri intentis oculis visu eos haurire, quod alii auditu facere solent. Siquidem orationem dominicam, aliasque pias preces, quando volunt, absque suggestione, aliisve adminiculis, scribunt; Euangeliaque festis diebus destinata non secus ac alii memoriæ commendant, ita ut expeditè ea scribere possint. Quod si in templis salutiferum nomen

men JESU CHRISTI *profertur, hic præ cæteris in cætu detracto capiti pileo, & genu flexo, venerabundus conspicitur. Adeò natura, veluti fidelis mater, compensando solicita & studiosa est, ne tanquam dura noverca meritò accusari possit.*

SECTIO IV.

De

RATIONE AC LOQUELA BRUTORUM ANIMANTIUM.

54. HIsce de *Surdis ab Ortu Mutisque* sic definitis, ea quæ in Problemate proposito ejusque explicatione occurrunt: lustremus ulteriùs: Ac *Tertium* quidem caput, quod meditationi nostræ suggessit Aristoteles, *Loquelam*

quelam Brutorum Animantium concernit, cùm afferat ipse, *Homini tantùm loquendi facultatem* (quæ *rationem* præsupponit,) *datam esse; nullum ex cæteris Animantibus loqui posse*: De quo paucis dispiciendum.

55. Est sanè *sermo externus* nihil aliud quàm rationis internæ nuncius, seu imago quædam, quæ ad ideam rationis elicitæ procedit: unde non immeritò Græci *rationem* & *sermonem*, eodem vocabulo λόγον *sermonem* absolutè appellarunt: quem in ἐνδιάθετον & προφορικὸν in *internum* & *externum* distinguunt Philosophi, quorum alter alterum, nisi vitium aut defectus organorum adsit, necessariò comitatur. Ubi ergo *ratio* locum non habet, ibidem nec *sermonem externum* habere locum necesse est, & contrà.

56. Ex hac arctissima *rationis* & *sermonis* copula contingit, quòd τὸ λογικὸν *rationale* Arabicè vertatur *Natthak* loquens Genes. 2. ℣. 7. veluti opposi-

tum

tum ejus *ἄλογον irrationale, Chares*, quod mutum ſignificat, appellatur 2. Pet. 2. ℣. 2. cui & phraſis Belgica reſpondet, *een ſtom Beeſt*, id eſt, *irrationale animal*. Quin &, Scriptura Sacra expreſſè animalia irrationalia *Muta*, ſeu *ſermonis expertia* vocat, 2. Petr. 2. ℣. 16. ubi Aſina Prophetæ Balaami ὑποζύγιον ἄφωνον ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον, *ſubjugale mutum humanâ voce locutum*, dicitur.

57. Sed difficultatem hîc ſuggerit Galenus noſter, qui, dum *ſermonem externum* quidem denegare Brutis videtur, *rationem* interim ipſam illis adſtruit, ex qua certè *ſermo externus* profluit: ut adeò, ſi quæ animantia bruta obtineant organa articulatæ voci edendæ convenientia, iis utique, ſuppoſitâ ratione ſeu ratiocinatione, *ſermo externus* haudquaquam videatur denegandus. Sic autem habet Galenus ſub init. Exhort. ad Art. libr. Stud. *An animantia quæ dicuntur bruta, prorſus expertia ſint rationis, nondum ſatis liquet;*

Fortaſſis

Fortassis enim, tametsi non habent eam rationem, quæ juxta vocem intelligitur, nobiscum communem, quam vocant enunciativam; certè eam, quæ secundùm animam accipitur, quam rationem appellant affectuum capacem, habent nobiscum communem omnia, licet alia magis, alia minùs.

58. Hic ergo paulùm subsistendum est, quò, quidnam de *Ratione brutorum animantium* vulgo dictorum, quid item de *Sermone* eorundem sentiendum sit, dijudicemus exactiùs. Equidem, *summâ eruditione præstantes Philosophi, Porphyrius, Plutarchus, Galenus* (inquit Bodin. Theatr. Nat. lib. 4. pag. 476.) *rationem belluis naturâ tributam, prope infinitis argumentis confirmarunt.* Ac Huart. in Scrutin. Ingen. c. 6. *Bruta quidem animalia*, inquit, *dubium non est memoriam habere ac phantasiam, ac insuper aliam quandam potentiam, quæ intellectui perinde respondeat, uti simia hominem refert.*

59. Quàm multa passim de *solertia* seu *ratione Brutorum* (de quâ peculiari tractatu

tractatu egit Plutarchus, de qua idem in Gryllo multa,) cùm ab Auctoribus tradita, tum passim obvia cernuntur; quæ certè qualemcunque rationem, seu quid rationi humanæ analogum, arguere videntur. De *Elephanto* stupenda referuntur à Plinio, Æliano, Plutarcho, aliisque, quæ ex variis Autoribus congessit Lipsius Cent. 1. Epist. 50. Ubi inter alia quàm plurima sequens ex Acosta, fidem penè superans, ex fide tamen, citatur Historia, quam item Garcias ab Orta Histor. Arom. lib. 1. cap. 14. recenset.

60. *Elephanti cuidam in urbe Cochin ad horam cibus non oblatus. Queritur & barrit. Magister excusat, & vas aneum ejus cibarium ostendit perfluens & pertusum: causam hanc moræ esse, quòd cibi non ultrà tenax. Iubet igitur, si esse velit, ad fabrum ærarium ferat reconcinnandum. Ille paret, promuscide aufert; fabro offert. Faber sive per negligentiam, sive ludos belluam faciens, infideliter reparat atque obstipat.* Elephas

Elephas refert, herus vitium videt & indignatur: inclamat illum absentem, hunc præsentem: denique redire jubet cum illo ipso vase. Facit: & fabro querulus impingit. Ille homo suavis iterum imponere conatur, & admoto malleo claudere rimam simulat, non claudit. Nec tamen imponit: Nam ille catus lebetem resumptum ad flumen defert, immergit, & aquâ implet periculi faciendi causâ, videt effluere. Plenus igitur irarum ad fabrum recurrit, intonat magnâ voce. Confluunt vicini, & inter eos Vicarius Regis. Faber blandis verbis demulcet, (nescio an ultrà audeam dicere, inquit hîc Lipsius) *belluam: vas denique sumit, & refingit probè atque ex fide. Sed ille ne tum quidem fidens, iterum ad flumen, & ad haustum: dum contineri aquam videt, vertit se ad adstantes & ostendit, velut testes eos advocans in hoc factum: ita demum abiit domum.*

61. Addit Garcias, qui ipse loca illa frequentauit, *vivere etiamnum qui hoc spectaculum se vidisse affirment.* Testatur-

que

que idem, *Elephantos non modò vernaculam linguam intelligere, sed etiam peregrinas, si eas doceantur.* Et mox: *In summa, huic animali nihil deesse videtur, ut ratione praeditum appareat, praeter loquelam:* quamvis & hæc ipsa, eodem Garcia teste, à nonnullis tribuatur: de qua re inferiùs.

62. Ne quis verò in dubium vocet, verane sint ea quæ de Elephantis referuntur: audiatur Jac. Bontius, fide dignissimus Autor, ac in Indiis Orient. ante paucos annos, nomine Societatis Belgicæ, Archiater, idemque oculatus testis, qui Not. in prædictum Garciæ locum, disertè, *quicquid de Elephanti docilitate dicitur, verum esse,* profitetur: Consimilia quodammodò de Canum & Equorum docilitate ac solertia, tum item fide erga Dominos, à Plinio, Scaligero, Camerario, Lipsio, aliisque referuntur, fidem ferè excedentia, at quæ tamen experientia quotidiana passim comprobat.

64. *Equus* circumducebatur ante plures annos ab Agyrta quodam in Hollandia, pulcherrimus, consimiliter ferè atque ille Scaligeri de quo Exerc. 209. assuefactus, qui Domini sui jussu ac solo interdum nutu, admiranda faciebat: inter alia, in frequenti hominum cætu jussus commonstrare, vel maximum scortorem, vel maximum potatorem, &c. non longè à vero aberrabat, signo quodam, procul dubio, ab hero clam directus.

64. *Psittacum* saltatorem, qui saltantem Allobrogum cantorem capitis gestu, depressis agitatisque aliis, imitabatur, vidisse se memorat Scaliger Exercit. 236. id quod *Gruem* quoque facetissimè facere testatur. De *Psittaco* alio refert Jonston. in Taumat. natur. quòd Symbolum Apostolicum apud Cardinalem pronunciarit; ac responderit ad interrogata. De alio item, qui erat Henrici VIII. Regis Angliæ, citat, in mare delapsum auxilium implorâsse, &c

ſe, & viginti liberas promiſiſſe; extractum quatuor denarios juſſiſſe dari.

65. *Catellum* ipſe domi meæ habeo etiamnum, qui haud ita pridem cùm felem cochlear grandius ad focum ſuſpenſum videret lambentem, aſſiliit primùm, atque latratu eam abigere conatus eſt; ſed cùm non cederet illa, lambendo pergens, ad me fortè longiùs diſtantem accurrit, pedibus anterioribus identidem me impetens, atque identidem verſùs felem procurrens, quaſi indicium facturus, donec reſpicerem, ipſamque felem abigerem: ſic nempe, etiam ſine aſſuefactione, indignum facinus felis notabat catellus, atque præ invidia illam abigi cupiebat. Alium habui olim Hardervici *catellum*, qui, ut ægrè admodùm cùm exirem domi remanebat, ita, ſi quando in culina dormiens commoratus fuerat diutius, dubius num fortaſſe interea exiviſſem, ocyùs ſubinde evigilans in atrium excurrebat, ac reſpi-

ciebat pallium, quo duntaxat viso, tutus revertebatur in culinam, quasi inde colligens me in musæo meo ac domi etiamnum esse.

66. *Simiarum* gesticulationes, & humanarum actionum imitationes, quas vel nulla assuefactio præcessit, sine omni fraude ac fallacia quotidie observamus. *Grues* certâ disciplinâ peregrinari, & excubias agere, testantur ὀρνιθόγεροι. *Apium* ac *Formicarum* ingenium & solertiam stupendam ipsa dies apertè loquitur. *Aranearum* artificia omnino admiranda, ac quâ ratione muscis decipulas struant, vel invitis etiam quandoque observantur. Mitto alia sexcenta, quotidie nostris sensibus obvia in brutis animantibus indicia, quæ rationis cujusdam seu ratiocinationis ideam commonstrare videntur.

67. Unum duntaxat subjungam, quod ex Castanendæ Annalibus Lusitaniæ refert Fort. Licet. libr. 2. de monstr. cap. 68. Nimirum, cum Mulier

lier aliquando ob quoddam crimen in Insulam desertam navi deportata esset, eam ibidem expositam Simiorum, quibus frequens locus erat, agmen circumstetisse fremebundum: supervenisse unum grandiorem, cui reliqui loco cesserint: hunc mulierem blandè manu captam in antrum ingens adduxisse, eique cùm ipsum tum cæteros copiam pomorum, nucum, radicumque variarum, apposuisse, & nutu ut vesceretur invitâsse: tandem à fera coactam ad stuprum: facinus hoc multis diebus continuatum; adeò, ut duos ex fera liberos pepererit: ita miseram victitâsse per aliquot annos: Donec Deus misertus navim eò Lusitanam detulisset: cùmque milites in terram aquatum ex proximo ad antrum fonte exscendissent, abessetque fortè fortunâ Simius, fœminam ad invisos diu mortales accurrisse, & occidentem ad pedes supplicâsse, uti se facinore & calamitosissimâ servitute

irent ereptum; assentientibusque & casum miserantibus illis, eam cum ipsis navim adscendisse. Sed ecce tibi, inquit, Simium supervenientem, inconditis gestibus & fremitibus conjugem non conjugem revocantem: Ut vidit vela ventis data, concito cursu de liberis unum matri ostentat, minatur, ni redeat, in mare præcipitatúrum; nec segniter fecit quod minatus: Tum recurrit ad antrum, & eâdem velocitate ad littus rediens ostentat alterum, minatur & demergit: subsequitur, donec undæ natantem vicêre.

68. Quod *Loquelam Brutorum Animantium* attinet: Nonnulla eorum ad articulatæ vocis, seu humani sermonis imitamentum aliquod assuefieri posse, ipsa quotidie experientia loquitur. In *Psittaco*, *Pica*, *Sturno*, id admodùm familiare observamus. In *Philomela* idem fieri posse, testes sunt Plutarchus, Plinius, Ovidius, & alii. Ipse ego in *Fringilla* illo genere, quòd

Aurivit-

Aurivittim vocant (χρυσομίτριν Aristoteli,) sermonis humani imitationem sat articulatam atque distinctam observavi in Patria mea, Moersæ, A. 1646. apud Nobilissim. ac Strenuiss. Virum Dn. Wilhelmum Reinerum à Cloutt, Civitatis ac Comitatus ibidem Satrapam ac Gubernatorem: Ex frequenti alloquio humano assuefacta erat avicula, ut, quotiescunque ad cantum se componebat, aliquoties hæc verba, *Sing Manneken*, articulatè omnino, at submissiùs, velut rauco gutture, præmitteret; quibus aliquoties repetitis tandem suavissimo modulamine subsequebatur. De *Psittaco* Symbolum Apostolicum recitante; itemque altero, qui cùm in mare incidisset, opem implorârit, ac præmium pollicitus fuerit, superiùs diximus.

69. De *Serpentis* ad Evam alloquio, mox à creatione, Genes. 3. & *Asinæ* allocutione ad Bileamum Num. 22. & 2. Petr. 2. ℣. 16. hîc nihil dicemus:

utpote quorum alterum esse operationis diabolicæ, alterum penitus divinæ, novimus: Ea saltem digito signanda sunt, quæ rerum naturalium Scriptores, Plinius, Ælianus, Plutarchus, aliique referunt, *de Elephantorum Sermone*, quin imò *Scriptione*: Quibus gemina esse verba audita Junonis Monetæ & Fortunæ simulacrorum, referente Val. Maximo, fortè statueremus, nisi priùs interiores naturæ recessus aliquanto exactiùs nobis excutiendi essent, quò fraudes Diaboli à naturæ operibus discernamus exactiùs.

70. De *Sermone Elephanti peculiari* refert Oppianus,

Φήμη δ' ὡς Ἐλέφαντες ἐπ' ἀλλήλοις
λαλέουσι
Φθογγὴν ἐκ στομάτων μεσοπηΐδα τον-
θρίζοντες.

Fama est inter sese sermocinari Ele-
phantes
Distinctasque susurrare atque emit-
tere voces.

Attesta-

Atteſtatur Acoſta, (qui diu in India Orient. egit, luſtravitque ipſe ingenium atque indolem Elephantorum, atque ab iis qui quotidie naturam eorundem obſervant, accepit), *nihil acceptius eſſe in Regno Malabar, quàm quòd hæ belluæ communicent inter ſeſe ſermone.*

71. Quin &c, *ſermonem humanum* addiſcere, ac uſitatis verbis conceptus interiores exprimere creduntur: *Erat,* inquit idem Acoſta, *in urbe Cochin Elephas, qui operas diurnas præbere ſolitus, ad portum & res marinas. Cùm fortè jam feſſum urgebat nihilominùs Vrbis ejus præfectus, ut Liburnicam, quam commovere cœperat, deduceret porrò in mare; ille abnuere; inſtare alter multis blandiſque verbis: & ad extremum in gratiam Luſitani Regis ut id vellet, orare. Hîc (immane dictu!) Elephas motus, clare,* inquit, *hæc duo verba ingeminat, Hoõ, Hoõ, quod Malabarum linguâ eſt, volo, volo; ac ſine mora navim traxit in mare.*

72. Garcias ab Horto loc. sup. cit. *non deesse*, inquit, *qui in Cochin publicum instrumentum (attestationem vocant,) se vidisse asserunt, quod referret, Elephantum aliquando istic locutum, petiisseque à suo rectore cibum. At rectorem respondisse, Lebetem in quo illi orizam coqueret, pertusum esse*, &c. quæ historia superiùs per Lipsium ex Acosta relata est.

73. De *Elephantum Scriptione*, quæ est sermonis externi repræsentatio quædam, refert Plinius ex Muciano, *quendam Græcas Literas pingere dedicisse, eâque linguâ scripsisse*, IPSE EGO HÆC SCRIPSI, ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Et Philostratus, *Scribunt*, inquit, *atque tripudiant, & ad fistulam saliunt*. Ælianus verò, *Vidi*, inquit, *ego ipse quendam in tabula Literas Romanas promuscide scribentem, rectè & non contortè: Quin etiam, cùm scriberet, oculi ejus cum rigore dejecti in tabulam erant, ut planè intentos diceres, & scriptitantes.*

74. Quam-

74. Quamvis autem *articulatam vocem* non edant pleraque *animantia bruta*, adeòque *sermone* propriè dicto non utantur; videmus tamen ea passim per corporis gestus, sonos, strepitus, aliosque modos quoscunque, conceptus suos interiores, cùm sibi invicem, tum & hominibus, exprimere: Velut item *Muti homines* gesticulationibus, nutibusque variis, vice sermonis utuntur, quibus significanter admodùm cùm inter sese, tum & cum aliis, quasi colloquuntur.

75. Huc spectat, quod refert Philostratus in vita Apollonii lib. 4. cap. 1. de *Passere*, qui tanquam nuncius vocem emittens, cæteris passeribus frumenti grana copiosiùs alicubi sparsa à se inventa significabat, sicque cibum inventum cæteris communicabat, qui auditâ ejus voce illâ, simul omnes clamorem tollentes illicò post ipsum volârunt. Simile exemplum relatum mihi aliquando, à Nobiliss. & Ampliss. D.

Brinckio, p. m. Consule, dum viveret, Harderviceno, de *Ansere* quodam, qui cùm in arvis alicubi copiosa grana invenisset, volatu illico ad cæteros suos consortes se convertebat, ac clamore apud ipsos excitato, universum agmen secum abducebat, ipse volatu præcedens, reliquisque pastum commonstrans. Evidentiora in *catellis* nostris indicia quotidie observamus, quibus interiora sua sensa aliis significant.

76. Quæ cùm ita se habeant, quid de *Brutorum Ratione*, ac *Sermocinatione* quacunque, sentiendum videbitur? quid illis deest, quò minùs *rationalia animalia* queant haberi, seu in consortium humanum transcribi? An non saltem, *ratio* quædam *analogica*, seu *æstimativa facultas* rationis æmula, in animantibus brutis agnoscenda erit, à qua solertia ipsorum proficiscatur, ac cujus beneficio prudentiâ quadam uti videantur?

77. Cer-

77. Certè, cùm videamus bruta animantia quandoque delirare atque desipere, (Simiæ enim ex ebrietate delirio corripiuntur, Canes hydrophobiâ seu rabie aguntur, quod & Equis, Bobus, Asinis, atque Camelis evenire ajunt,) sequitur utique eadem quoque sapere, ac quodammodò ratione uti: potentia enim atque impotentia naturalis ad idem subjectum referendæ sunt. Hinc item videmus, prout illa analogica ratio in aliis excellentior est atque vegetior, ita & alia bruta ab aliis ingenio, prudentiâ, docilitate, atque stupiditate differre. De qua re pluribus egi in Theatr. Natur. Univers. part. 2. Disputat. 5. §. 29. & seqq.

78. Veruntamen, hæc *Brutorum Ratio* totâ essentiâ differt *à Ratione humana:* Est enim illa *sensitiva* seu *materialis animæ facultas* quædam, cui in Homine *Cogitativa* vulgò dicta, seu ipsa *Æstimativa*, ratione illustrata à præsiden-

te atque ὑποστατικῶς cum ſenſitivo corpore unita rationali anima, quodammodò reſpondet: quæ interim ipſa *Cogitativa* in Homine, quamvis & ipſa materialis facultas ſit, multò tamen nobilior atque illuſtrior eſt, quàm ſit ratio in ulla brutorum animantium ſpecie; ac pluribus omnino paraſangis ſuperat ipſa rationem Elephanti, quàm hujus ratio ſuperare deprehenditur rationem Galli Africani, quatenus nimirum in ipſa eluceſcit fulgor quidam ſeu repræſentata imago dimanans in homine ab immortali mente, nativâ item ſuâ atque eſſentiali ratione, quâ cœleſtes Intelligentias æmulatur, pollente: qui quidem rationis fulgor in homine æſtimativę facultati, ob intimum rationalis animæ cum ſenſitivo corpore nexum, quo totum ſuppoſitum rationale evadit, ſeſe communicat.

79. Sicque non ſine ratione *geminum id in homine* traditur ab Ariſtot. 1. Ethic. ad Nicom. cap. ult. *quod rationem*

nem habeat: *alterum* quidem, *quod eam habeat principaliter & in se ipso*, nempe, τὸν νοῦν, mentem ipsam, seu rationalem animam; *alterum velut aliquid, quod parentis dicto audiens sit*, *quodque rationem habeat per participationem*, nempe id quod vocat in homine τὸ ἄλογον, seu partem animæ rationalis expertem, hoc est, sensitivam facultatem: Prior illa hominis ratio est ipse *intellectus agens*, Aristoteli dictus, quem 3. de anim. cap. 5. t. 20. dicit esse separabilem, immortalem, atque impatibilem; posterior *patiens intellectus* est, quem immortalem ac perpetuum non esse ait, quippe rationali animâ corpore separatâ ipsemet cum universa sensitiva facultate intercidit. Sed pleniùs de hac gemina in homine ratione disserui Tract. de Anima Humana Dissert. 7.

80. Prior ratio in homine, quæ nempe ipsi rationali animæ seu menti genuina ejusque nativa facultas est, veluti immaterialis substantia mens humana

mana est, materiæ nequaquam implicita, ita & ipsa nullo organo corporeo in suis functionibus utitur; sed supra sensus omnes se evehens, divina, immortalia, sempiterna meditatur: eaque intelligit, quæ nullus sensus corporeus concipit; ea passim appetit, à quibus omnis sensitiva facultas abhorret. Ut adeò jure merito Calvinus noster Inst. libr. 1. cap. 5. §. 5. reprehendat eos, *qui præposteris argutiis dediti, dictum illud* (quo organicæ traduntur animæ facultates,) *libenter obliquo flexu traherent* (à sensitiva nimirum facultate, ad ipsam rationalem animam) *tam*, inquit, *ad immortalitatem animæ abolendam, quàm ad eripiendum Deo jus suum: Nam, quia organicæ sunt animæ facultates*, inquit, *hoc prætextu alligant eam corpori, ut sine eo non subsistat.*

81. *Posterior hominis ratio*, quæ per participationem communicatur sensitivæ facultati, seu æstimativæ, quatenus & ipsa corporea quidem non

est,

eſt, nec corpori permixta, (docente Ariſt. 3. de anim. cap. 4. text. 6.) utpote cum ſit veluti communicata & quaſi in ſpeculo repræſentata mentis imago, ita & ipſa in operationibus ſuis organo nullo utitur, (ſecundùm Ariſt. cit. loc.) quamvis interim circa phantaſmata veluti objectum ſuæ operationis verſetur, ac ſine phantaſmate nihil intelligat, ut docet idem cap. 8. t. 39. Reverà namque ad hunc *intellectum patientem*, ſeu potiùs ad hominem quà animalis naturæ eſt, intellectu agente illuſtratus, pertinet illud quod habet Ariſt. proximè cit. loco, *Intelligentem oportere ſpeculari phantaſmata*; & quod vulgò dici ſolet, *Nihil eſſe in intellectu, quod non fuerit priùs in ſenſu.*

82. Etenim hæc ſenſitiva facultas in homine, utut ratione illuſtrata, per ſe nihil intelligit: ſed eſt veluti tabula raſa, ſeu libellus cui nihil inſcriptus, at inſcribi quidvis poteſt, ex 3. de anim. cap. 4. text. 14. omnium quippe re-

rum

rum cognoſcendarum, vi ſplendoris illius, quo à rationali anima eſt illuſtrata, capax eſt, atque ad objecta quævis, materialia & immaterialia, individua, abſtracta, mortalia & ſempiterna, ſe extendit. Quà enim ſenſitiva eſt, percipit quidem v. g. aquam, ignem, carnem, magnitudinem, ac ſimilia, horumque phantaſmata format, (quod & brutis cum homine commune eſt;) at cùm aliud ſit caro, aliud carnis eſſe, aliud magnitudo, aliud magnitudinis eſſe, & ſimiliter de aliis, alià certè parte ſui, ſeu ſe ipſâ quidem at aliter ſe habente, (ſcil. non quà ſenſitiva eſt, ſed quà cogitativa, ſeu quà rationis particeps, ac à rationali anima illuſtrata,) eſſentiam à rebus ipſis, quæ in ſenſus incidunt, diſcernit, ibid. text. 9. 10 11.

83. *Prior* autem *hominis ratio*, ſeu genuiua rationalis animæ facultas, veluti planè immaterialis eſt, ita cognitionem ſibi propriam ac naturalem nequa-

quaquam per materiam, seu per sensus corporeos haurit, (supernaturalis cognitionis mysteriorum divinorum, seu rerum quæ rationis nostræ captum excedunt, ac fide opus habent, alia, atque non una ubivis ratio est,) dum interim & ipsam quæ per sensus inferioremque rationem hauritur cognitionem, longè illustriorem efficit, ipsasque varitates exactiùs discernit.

84. Hæc namque rationalis animæ genuina facultas, cognitionis cujusvis (quæ modò mysteria Dei non involvat,) principia ac semina sibi congenita habet, seu intelligentiâ tali instructa est, ut discursu ac ratiocinatione rerum veritates è suo sinu queat depromere. Sicque omnino notitia quoque Dei mentibus hominum insculpta est: non quidem ita, quasi nemo sit qui Deum esse non agnoscat; seu quasi protinus nascentium animis inscriptum sit, Deum existere, (cujus sententiæ fuerunt Anselmus ac Hieronymus,

mus, teste Suarezio Disput. 19. l. 2. §. 3.) sed quod talia mentibus nostris indita sint à natura notitiæ Dei primordia, ac tale intellectuale lumen iisdem connatum, ut proprii ingenii viribus, etiam absque ulla sensuum ope, ad cognitionem potentiæ ac divinitatis supremi Numinis queamus assurgere: Non secus atque veritates Geometricas nobis connatas esse verissimè asserimus, quamvis non illico Elementa Euclidis à primo ortu teneamus.

85. Atque ita, veluti vel ipsi vulgo inerti ac rudi, quod mentem à corpore vix solet abstrahere, adeòque non nisi per sensus atque dictamen rationis inferioris, seu cogitativæ, notitiam rerum solet acquirere, invisibilia Dei jam inde à Creatione Mundi cognoscuntur atque pervidentur ex factis, ut ita τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ inter homines etiam plebeios notum sit, docente Apostolo ad Rom. 1. ita Philosophi, & qui altioribus meditationibus

bus iddulgent, seu mentem à terreno hoc carcere liberiùs abducere didicerunt, etiam sine sensuum testimonio, per interiores mentis dotes, cognitionem Dei adipiscuntur.

86. Certè, ipsa illa semina mentibus hominum naturaliter indita, ita potenter quandoque in actum erumpunt, ut vel pervicacium ac omne sensuum dictamen respuentium conscientias perstringant: Quo sensu cum Calvino Instit. libr. 1. cap. 3. §. 1. dicere licet: *quendam inesse humana menti, & quidem naturali instinctu, divinitatis sensum, extra controversiam ponimus: siquidem, ne quis ad ignorantia prætextum confugeret, quandam sui numinis intelligentiam universis Deus ipse indidit, cujus memoriam assiduè renovans, novas subinde guttas instillat.*

87. Quod verò *Brutorum Animantium Rationem* attinet: Hæc ab anima sensitiva pendens, planè materialis est atque corpori immersa, inseparabilis omnino,

omnino, atque cum individuo interit: unde & non nisi circa corporea atque caduca versatur. Eadem in brutorum speciebus quibusvis circa certum ferè atque determinatum objectum versatur, quò nempe naturæ instinctu feruntur singulæ; nequaquam velut in homine indifferens est circa quidvis: Ita hirundines ex argilla nidos construere, feras latibula parare, natura docuit; canes leporibus insidiantur; muribus feles; quò nec vaccæ ne asini ratio fertur, nec arte concitari potest.

88. Et quamvis fortè nonnullæ Brutorum Animantium species liberiùs circa varia objecta ratiocinando versentur, velut in Elephantis, Simiis, Cercopithecis, Cynocephalis, quin & Canibus ipsis, aliisque similibus deprehendimus; objecta tamen ipsa non nisi sub ratione singularium apprehendunt: Aquam, nimirum, ignem, carnem, magnitudinem, & similia, percipiunt,

cipiunt, ac insuper phantasmata circa hæc ipsa formant, eaque vel componunt vel dividunt, ipsasque species sensatas dijudicant, atque æstimant: attamen cùm aliud sit caro, aliud carnis esse, aliud magnitudo, aliud magnitudinis esse, &c. ut loquitur Aristot. essentiam rerum à rebus ipsis non discernunt; nec per abstractionem ab individuis ab universalia assurgunt. Sicque in singularibus ac materialibus universa ipsorum ratiocinatio subsistit; nec adeò doctrinæ, quæ Canonibus, ac regulis certis comprehendatur, capacia sunt.

89. Præterea, si vel ratum fortè haberi posset, nonnulla animantia bruta aliquem divinitatis sensum habere, (veluti ab Elephantis traditur professa Religio idololatrica, in siderum Solis & Lunæ veneratione,) aut aliquibus posse aliquam pietatis imaginem vel umbram instillari, utique eo ipso nequaquam de Deo quippiam, nisi sub

si sub ratione corporea, atque ita ne Deo quidem, concipient, nec de Deo per causarum diductiones, finiumve seriem, nec per conclusiones ex principiis menti instillatis diductas, ratiocinari unquam poterunt; sed ex singulari commoditate vel usu, vel singularis individui, (v. g. Solis aut Lunæ) splendidiori apparentia: adeòque nec de invisibilibus Dei quicquam apprehendere, sed de iis duntaxat quæ proximè sensus movent, ideæ corporeæ conceptum seu phantasma formare valebunt.

90. Certè, à facultate merè corporea, id quod verè incorporeum ac divinum est, seu quod ipsa vera divinitatis essentia est, quod solum religioso cultu est prosequendum, nequaquam agnoscitur. Siquidem verò in Elehantis, cùm plurimarum virtutum umbræ, tum & religionis quædam imaginaria idea refulget, (ut ex variis Autoribus exempla congessit Lipsius,)

Lipſius,) quid mirum in cœleſtia corpora, quæ ut ſenſibus maximè ſtupenda ſe ingerunt, ita minimè interim exactè ſenſibus percipiuntur, illud qualecunque religionis idolum directum deprehendi? Ut ita Orientem Solem adorare, Plutarcho & Æliano, Lunam novam Plinio & Æliano, credantur.

91. Denique eâ duntaxat parte ſapiunt bruta, quâ & delirare poſſunt; at ſapiunt homines inſuper mente, ſeu intellectu agente, quâ nunquam poſſunt delirare, quâ evidentiſſimè à brutis diſcernuntur, utpote brutis nequaquam conceſſa: ut adeò ad ſolum intellectum patientem, quatenus hîc ſenſitivæ facultati inſidet, pertineat illud Hippocratis ſect. 2. aph. 6. *Qui aliquâ corporis parte dolentes, dolorem ferè non ſentiunt, iis mens* (ἡ γνώμη ſeu ut exponit Galen. in comm. ἡ διάνοια,) *ægrotat*: vitio nempe ſenſuum internorum; quos cum brutis homines communes

habent, & quorum miniſterio, dum corporis vinculis tenentur paſſim opus habent, hallucinantur.

92. Rectè igitur *Ratione* dicuntur Homines à Brutis diſcerni: Rationis quippe rationali animæ nativæ, ſeu intellectus agentis, ne quidem veſtigium obtinent animantia bruta; at rationis per participationem communicatæ ipſi facultati ſenſitivæ, ſeu intellectus patientis, ſimulacrum duntaxat quodcunque gerunt, unde per analogiam quandam rationem obtinere dicuntur.

93. De *Loquela* porrò *Brutorum Animantium*, quæ deprehenditur in nonnullis, ubi organa articulatæ voci reddendæ congruentia reperiuntur, quænam illius ratio ſit, ac quo modo differat à ſermone humano, diſquirendum: *Loquela* utique Pſittacorum, Corvorum, aliarumque avium, quam artificio edocentur, nihil aliud eſt quàm articulata quædam vox ſine mente, ad

quam assuefactione comparatæ sunt, non capientes plerunque quidnam hac vel illa voce designetur: Ita sanè Psittacus ille, qui Symbolum Apostolorum recitabat, rerum vocibus illis significatarum nullum omnino habebat intellectum. Adeòque loquela ejusmodi rationis interioris imago nequaquam est, nec adeò verus sermo est.

94. Quòd si verò rebus ipsis sua nomina appositè quandoque videantur accommodare, seu ipsam significationem tenere, memoriæ id ipsum opus est, per quam ea quæ docilitate suâ conceperunt, eo modo quo assuefacta sunt, secundùm appellationes multoties repetitas, rebus singularibus accommodant: ad alia verò ulteriùs, quò nempe non fuit antè directa assuefactio, nequaquam illorum sermo procedit. Ut adeò Psittacum illum, qui in mare delapsus auxilium implorabat, pollicebaturque præmium, illa verba assuefactione addidicisse, cùm

sæpe ante immitteretur in periculum, necesse sit.

95. Cùm verò sit verissimum, non modò Elephantes, sed & alia nonnulla animalia, v. g. Canes, Equos, (licet hæc minori polleant docilitate,) sermonem hominum, cui assuefacti sunt, quadantenus capere, seu quid rei per hæc vel illa verba illis indicetur, intelligere, (consimiliter atque ad nutus ac gestus suorum Dominorum norunt quid ab ipsis exigatur,) alia quidem magis & exactiùs, alia minùs; an magis mirum foret, eadem bruta, si quidem organa loquelæ apta obtinerent, posse phantasiæ & æstimativæ suę conceptus singulares, quos secundùm vulgarem sermonem cui assuefacti sunt, intus formant, verbis externis, (qualia per assuefactionem edocti sunt,) aliis exprimere, quàm mirum videtur bruta passim gestibus sui corporis, aliisque modis variis, (qui & mutorum sermo est,) interiores suos conceptus aliis

aliis posse adumbrare? aut, quàm mirum videtur, psittacum, picam, corvum, sturnum, posse consimiliter articulatâ voce, seu verbis quæ didicerunt, significare id quod intus concipiunt ac desiderant?

96. *Numeros* quidem pronunciant bruta animalia, ad loquelam aliquam assuefacta: at interim ipsorum numerorum conceptum formaliter nullum habent; utpote qui non nisi abstractione, adeóque à facultate immateriali duntaxat, formari queat. Ut enim numerentur res objectæ, seu ex unitatibus definita multitudo colligatur, numerorum quorumvis idea menti comparata sit, adeòque numerus in abstracto sit cognitus, constetque quomodo differat ternarius à quaternario, hic verò à denario, atque ita porrò, necesse est, quò ita pro re nata objectæ multitudini cuivis suus numerus ritè accommodetur: Hoc verò in facultatem materialem, quâ solâ bruta ani-

ta animantia pollent, nequaquam cadit.

97. Cùm ergo *numerus* nonnisi per intellectum propriè formetur, quod & ab Arist. agnitum est 4. Phys. t. 131. numerorum appellationes ex memoria tantùm repeti à brutis, numeros pronunciantibus, necesse est; essentiam verò numeri, vel deferentiam quaternarii & quinarii, seu vicenarii, non agnosci.

98. Quod *Scriptionem Brutorum* attinet: Cùm Elephantes proboscide veluti manu utantur, non minori ferè promptitudine quàm quâ nos manu uti solemus, (quippe vel minutissimum nummum promptissimè de terra tollunt, ensem ordinatè gladiatoris instar vibrant, bombardam tenent, dirigunt, explodunt, ut ipsimet sumus oculati testes,) non adeò quidem impossibile videtur, eosdem literas quasdam, quarum figuras doceri omnino possint, cùm seorsim, tum junctim in di-

in dictiones sibi sociatas, posse pingere, ac fortasse scribendo conceptum rei alicujus singularis, secundùm assuefactionem posse exprimere, quemadmodum animantia bruta alia gesticulationibus, aliisve modis, naturæ suæ congruentibus, suos conceptus exprimere solent.

99. Liquet autem satis ex dictis, quo modo *Brutorum loquela*, ejusdemque per *scriptionem* adumbratio, toto cælo longiùs distet à *sermone humano*: cùm nempe homo nequaquam ex assuefactione duntaxat huic aut illi rei singulari hanc vel illam vocem accommodet, sed Linguam ipsam sibi familiarem reddat, eamque pro re nata rebus quibusvis exprimendis adhibeat; secus atque bruta: Ac velut ratio hominis ipsa, seu sermo internus, non modò ad singularia, ac materialia, sed & universalia, abstracta, immaterialia dirigitur, secus atque ratio brutorum; ita & externus sermo, ceu nun-

cius ſermonis interni, eódem accommodatur, quò certè nulla brutorum loquela adſpirat.

100. Adeòque veluti brutorum ratiō, à ratione humana, ita & loquela eorundem, ſeu ſignificatio rerum quæ per loquelam inſtituitur, ab humano ſermone non minori intervallo diſſita eſt, quam materialis facultas diſtat ab immateriali. Ut verè liceat pronunciare, ſermonem verum, non ſecus atque veram rationem, nulli animantium præterquam ſoli homini, convenire: Analogiâ tamen aliquâ ſermoni illi humano, ſeu vero, brutorum loquela, veluti & ratio eorundem rationi humanæ, poteſt aſſimilari.

F I N I S.

DE

DE SOLERTIA ELEPHANTUM

Ex Phil. Camerar. Horarum Subcisivarum cent. 1. *cap.* 25. *sequentia subjungimus.*

REdeamus ad Elephantum. Quoniam autem de illa bellua, quæ tam proximè accedit ad humanam rationem, ut non putem, eam ab ullo alio bruto animali hac in re superari, mentio facta est, (licet passim multa, imprimis apud Plutarchum de solertia animalium, de Elephantorum docilitate, fidelitate, diligentia, ambitione, clementia, & si liceret dicere, de ipsorum religione & pietate, aliisque affectibus propemodùm humanis apud Veteres extent,) nonnulla selectiora, quæ & olim & nostro tempore cognita sunt, imprimis autem quæ Pierius de

Hannone Elephanto, ab Emanuele Lusitaniæ Rege Leoni X. dono misso refert, recensenda duxi: Minimè, inquit, hoc loco dissimulandum, quod super ejusdem Hannonis ingenio Michaël Silvius, Regis sui ad summum Pontificem Orator, summæ, ut nosti, Vir integritatis, fideique sanctiss. atque alii narravere, remque multorum testimonio comprobavere. Quum destinâsset Emanuel Rex eum Romam Pontifici donum ire navi quam inscenderet jam instructa, parataque ad profectionem, nullo unquam pacto per aliquot dies fieri potuisse, ut Hanno, vel duci se ad navim, vel si quo modo adductus fuisset eam vellet inscendere, usque adeò aversabundus profectionem hujusmodi reformidabat. Quumque Rex super ea re solicitus admodùm esset, magnisque pollicitationibus unumquemque invitaret, qui deducendi asportandique Hannonis negotium suscepissent, nequequisquam

quam nomen profiteretur ſuum, inſuſurratum demum eſt Regis auribus, ejus belluæ magiſtri dolo hæc fieri, quippe qui puellę cujuſdam amore pręditus ægrè ferret ſe in tam longinquas regiones ablegari, proindeque Hannoni perſuaſiſſet, ne ſe abduci pateretur, abvehendum quippe eum in loca ſterilia, inamœna, & barbara, ubi ludibrio contumeliiſque omnibus, tanquam hoſticæ terræ animal afficeretur, neque victui neque ornatui ejus vel neceſſaria vel commoda ſuffectura. Longum adhæc iter, & incommodum & vaſtum maris æquor arandum: ut ſatius eſſet, in qua nunc erat terra quàm primùm contrucidari, quàm per tot viarum difficultates ad ærumnoſiſſimam denique vitam pervenire. Rex hac re cognitâ, Magiſtrum Hannonis ad ſe quàm primùm accerſiri jubet, ſeque dolos ejus comperiſſe dicit: Ageret itaque ut intra triduum Hanno in navim imponeretur, idque ni fieret

properè, interminatus est actutum se hominem extremo supplicio affectu-rum, ut aliis exemplo esset, qui mandatis Regis fucum facere ausi essent. Hac Regis asperitate territus Elephanti Magister, quum nullam in cunctatione salutem intueretur, discipulam belluam aggreditur, docet se malevolorum quorundam fraude subornatum, & qui felicitati utriusque inviderent, & Regi optimo malè obtemperantes essent. Longè autem secus rem habere, quàm illi mentiti essent. Siquidem non ad immania & effera loca profecturi essent, sed ad urbem Orbis terrarum dominam, amœno loco sitam, ubi rerum deliciarumque omnium, quotquot vel avidissimi cujusque cupiditate expeti possint, copia fertilissima redundaret. Ibi esse Principem, cui totus penè orbis terrarum assurgeret, apud quem is in deliciis habendus esset, & tanquam lusciniæ pullus, lautitiarum blanditiarumque affluentiâ nu-

tricam-

tricandus, proinde bono animo esset; secumque primo quoque tempore lætus & alacer navem ascenderet; affuturos navigationi Deos, & cursum omnem incredibi felicitate prosecuturos. Ita Hannonem ab eodem Magistro in aliam sententiam deductum, ubi signa data sunt, ultrò navem conscendisse, neque ulla unquam imperia toto itinere detrectâsse. *Et paulò pòst*. Audiamus Augerium Busbequium Legatum Cæsareæ Majestatis ad Turcicum Imperatorem. Is enim scribit, vidisse se ibidem Elephantum planè juvenem, mirè lepidum, ut qui saltaret, & pilâ luderet. Hîc credo, inquit, vix temperabis risu. Elephantum, inquies, ludentem pilâ & saltantem? Qui minùs quàm funambulum Terentii; itemque Græcarum literarum peritum Plinii testimonio notos? Sed audi tamen, ne me quicquam fingere existimes, aut perperam intelligas. Quum saltare juberetur, movebat ita alternos pedes,

toto corpore coruſcans, ut non obſcurè tripudiare velle videretur: Pilâ verò palmariâ ita ludebat, ut pilam in ſe projectam proboſcide exciperet, longéque repercuteret, quod nos palmâ facimus, &c.

Alia, de Elephantum pietate, aliiſque virtutibus, exempla, vid. apud Camerat. Horar. Subciſiv. Cent. 2. cap. 96. De Canibus, quare rationis alicujus capaces cenſeantur, deque admiranda eorundem ſolertia, fide, ſagacitate, &c. vid. ibid. cap. 93. 94. Inter alia cap. 93. ex Petro Quinquerano Epiſcopo Senecenſi hæc adſcribuntur: Quid dicam? *inquit*, tum varia artificique oculorum ſpecie voluntatem ſuam proponunt, tum efficaci nutu loquuntur, & loquuntur quidem cùm allatrant, ſed ſuo modo, ut haud dubiè exiſtimare ſit, eos, ſi articulatam linguam ſortirentur, & argutè & lepidè de rebus ſuis dicturos.

FINIS.

AN.

ANTONII DEUSINGII
Med. & Phil.
DISSERTATIONES
DE
UNICORNU,
ET
LAPIDE
BEZAAR.

Publicæ Ventilationi subjectæ in Acad. Groningæ & Omlandiæ.

Respondentes.

THEODORUS WINANDI,
ALEXANDER MEYER,
Amstel. Batavi.

LECTORI CANDIDO

S.

ANTONIUS DEUSINGIUS.

EN, Candide Lector, Asylum repræsento Imperitorum, Medicastrorum, destructum, eversum. Ad quod confugiunt, cùm lethales errores moliuntur contegere, qui sine Arte, sine Scientia Medica, cum illo apud Plautum in Rudente, unâ literâ plus sunt quàm Medici. Mendicos dixerim, an Merdicos, nescio: si quidem illorum titulo indi-

debet, (quod facere suscipit, vel cujus faciendi rationem se intelligere falsò præsumit;) *atque ita non facere est facere*, ex Gothofr. ad dictam Legem. Quod si autem *occidisse vulgò dicitur*, *qui causam mortis quolibet modo præbuit*, *per Leg.* 51. *ff. ad Leg. Aquil.* utique meritò *occidisse* dicitur, qui non modò necessaria omisit; sed & noxia præbuit, ac deleteria: quin &, qui pro utilibus, oportunis, ac necessariis, exhibuit inepta, inutilia, nec morbo, nec causæ, nec circumstantiis congrua. Veruntamen mitiùs de Medicastris statuimus; Nec *Homicidas illico censendos* urgemus, quòd *occidisse*, vel *causam mortis præbuisse* sint dicendi; cùm & alio sensu *multum*

interfit,

interfit, *occiderit* (ideft *Homicida* vel *Latro* quis habendus fit,) an *mortis caufam præftiterit*, *ex L. 7. §. 6. ff. ad Leg. Aquil.* Solam fuam *imperitiam* confiderent, (quæ certè ipfa *culpæ* annumeranda, *per Leg. 132. ff. de R. I.*) quâ nec morbos, nec morborum caufas, nec medicamentorum vires, nec temporum opportunitates, nec circumftantiarum aliarum rationes, norunt difcernere; & *temeritatem*, quâ audacter aggrediuntur, cum difpendio ægrorum, ea quæ non capiunt; quâ *culpam* fibi conflant, immifcentes fefe rebus ad fe non fpectantibus, *per Leg. Culpa eft, ff. de Reg. Iur.* Sed metuo ut ita leniter de Medicaftris fentiant, qui Juris funt periti, ac præfertim ii, quo-

quorum Nobili Officio est demandata salus publica: His *magna culpa dolus est*, *ff. de verb. signif.* At culpa, ea maxima quæ vitam atque incolumitatem hominum concernit, quâ nullus thesaurus pretiosior, juxta Psalm 49. v. 8. & seq. Quin & , si *proditoriè* sit agere, aliud actibus ostendere, & aliud in mente gerere, *ex Bartol. in Leg. Respicien. §. Delinquunt. ff. de Pœnis*; utique censebuntur ii omnino agere proditoriè, qui Medicinam factitant, at planè sibi conscii sunt interea, se nec Scientiæ nec Artis Medicæ principia tenere. Nolim in suffragia vocari Juris peritissimum Virum *P. Zacchiam Romanum*, qui *Quæst. Med. Legalium lib.* 6. *tit.* 1. *quæst.* 1. §. 24. de univer-

universo Medicastrorum genere, *quod ultra suam capacitatem quid operatur, multaque audacter ultra id quod novit circa infirmos machinari tentat*, ita censet: *Licet hi*, inquit, *per audaciam delinquere soleant, quæ ex ignorantia consequitur, dolo tamen peccare ut plurimùm solent; maximè cùm quid machinantes, quod ipsi ignorant, & tamen ut aliquid lucri faciant, & pecunias à credulis extorqueant, vel ut nomen sibi apud eos acquirant, promittentes quod præstare non possunt, ab operando non desistunt; videntur tanquam dolosi puniendi.* Similiter ibid. quæst. 3. §. 19. 20. *ignorantiam talium quia semper comitem habet audaciam, nullâ excusatione dignam videri: sed prætergressionem eorundem, malitiosam præsumi posse.* Ac de *Empiricis* speciatim

ciatim loquens ibidem quęst. 11. §. 4. *de ipsis plurâ non addam*, inquit; *Omnia enim mihi dixisse videor, cùm toties errare eos firmaverim, quoties manum ad medendum admovent; certumque esse debet, quod si quid damni tales homines ex suis medicamentis cæteris inferant, de damno tenentur, & si quem Medicamentis suis occiderint, tenentur etiam de homicidio.* Quid contra hæc Oracula Virorum Juris-Consultorum præsidii inveniant, viderint ipsimet illi Pseudo-Medici nostri, postquam Asylum ipsorum, quod sub Delubro laudati *Unicornu*, atque ad Altare famisissimi *Lapidis Bezoardici*, habebant confictum, hîc destructum invenerint, penitusque eversum. Sed frustra me esse aïs, Candide

Lector,

Lector, nec me hisce inveterato malo posse medelam afferre: Interea verò pessimorum hominum me experiri maledicta. Ex parte rem tangis; at maxima ex parte interim falleris. Audi Senecam, quæso, de Tranquillit. Animi cap. 3. *Præcisis quoque manibus ille in prælio invenit, quod partibus conferat, qui stat tantùm & clamore juvat. Tale quiddam facies, si à prima te Reip. parte fortuna submoverit; stes tamen, clamore juves: si quis fauces supresserit; stes tamen, & silentio juves. Nunquam inutilis est opera Civis boni, auditu enim, visu, vultu, nutu, obstinatione tacitâ, incessuque ipso prodest. Vt salutaria quædam, citra gestum tactumque, odore proficiunt: ita virtus utilitatem etiam ex longinquo & latens fundit: sive exspatiatur & fruitur suo jure;*

jure; sive precarios habet accessus, cogiturque vela contrahere; sive otiosa mutaque est, & angusto circumscripta, sive adaperta: in quocunque habitu est, prodest. &c. Ac ne putes me posse injuriâ affici à vilissimis mortalium, audi Philosophum eundem de Constant. Sapient. cap. 7. *posse evenire, ut faciat aliquis injuriam mihi, & ego non accipiam: tanquam si quis rem, quam è villa mea surripuit, in domo mea ponat: ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Potest aliquis nocens fieri, quamvis non nocuerit. Si quis cum uxore sua tanquam aliena concumbat, adulter erit, quamvis illa adultera non sit. Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtum cibo perdidit: venenum illud dando, scelere se obligavit, etiamsi non nocuit. Non minus Latro est, cujus*

telum oppositâ veste elusum est. Sanè didici dudum, ex eodem Seneca cit. l. c. 19. *& honores & injurias vulgi in promiscuo habendos esse: nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioquin multa,* inquit, *timore contumeliarum aut tædio, necessaria omittemus: & publicis privatisque officiis, aliquando etiam salutaribus, non occurremus, dum muliebris nos cura angit, aliquid contra animum audiendi. Libertas est animum supponere injuriis; & eum facere se, ex quo solo gaudenda veniant.* Sed mitto hæc insipida, propediem, Deo favente, sapidiora daturus, de *Manna* & *Sacchar*o. Vale, Candide Lector, ac studio meliori fave. Dabam Groningæ. V. Cal. Feb. M DC LIX.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
UNICORNU.

MAximis encomiis in Medicina dudum celebratur *Unicornu*, ceu præsentaneum contra Venena Antidotum: Cùm interim cujusnam animalis cornu id sit, etiamnum sit controversum. Quin imò, an sit verè Animalis alicujus cornu, quod passim pro *Unicornu* venit, fortè dubium: Quin & an detur in Rerum Natura *Monoceros*, animal nempe ἀπὸ τοῦ μόνου κέρατος, *ab uno ac solo cornu*, propriè *Unicornis* & *Unicornu* dictum, cujus cornu singulari virtute præditum creditur, antiquæ

 Medi-

Medicorum ac Physicorum quæstio est; nondum hactenus sufficienter decisa. De qua re multa videre est apud Aldrovandum, Baccium, Bartholinum, (Patrem & Filium) Jonstonum, aliosque: quæ impræsentiarum huc transferre non patitur instituti nostri ratio.

2. Constat equidem ex S. Scriptura, dari animal quoddam cornutum, terrestre, robustissimum præ reliquis terrestribus animantibus, quod vocabulo Hebræo ראם & רים *Rêm* appellatur; quodnam verò illud sit, & quâ virtute physicâ cornu ejus valeat, non itidem ex Sacris definiri potest.

3. Verissimum namque est quod dicit Vir Celeberrimus Joh. Cloppenburgius Loci de Creat. disp. 5. th. 10. *Animantium seu* V. *seu* VI. *die creatorum, nomenclatura Hebraïca, in variis illorum generibus, sicut etiam Herbarum, Arborum, & Gemmarum, hodiè quidem admodùm*

dùm incerta est populis occidentalibus; nec omnia Avium & Piscium, neque Herbarum, Arborum, & Gemmarum genera suis Hebraïcis nominibus ita innotuerunt, ut vernaculis nominibus Hebraïca semper rectè sine errore exprimantur.

4. Hinc prædictum vocabulum ראם vel רים à LXX. Interpretibus passim vertitur *μονόκερως Vnicornis*, ut Num. 23. ℣. 22. & 24. ℣. 8. Deut. 33. ℣. 17. Job. 39. ℣. 9 Ps. 22. ℣. 22. &. 29. ℣. 6. itemque 92. ℣. 11. Locum Esaïa 34. ℣. 7. explicarunt (*ἁδροὶ*) non verterunt: Vulgatus autem Latinus in Mose & Jobo transtulit *Rhinocerotem*, in Psalmis autem & Esaïa *Vnicornem*: Belgicæ versionis novissimæ Rever. D. D. Interpretes constanter vertunt *Eenhoorn.*

5. Fortasse autem, velut in aliis multis, ita & circa prædictum animal nonnihil lucis affundent aliarum Linguarum Orientalium Lexicographi, ac Sacrarum Literarum versio-

nes: In subsidium itaque hîc vocabimus Penteuchi versiionem Persicam, quam olim inter studia Academica (cum Leidæ hospitio ac plurimo favore frueremur incomparabilis Viri, D. Jac. Golii, Matheseos & Arabicæ Linguæ Professoris, nunquam sine honoris Præfatione nobis nominandi,) ex Constantinopolitano exemplari, à Judæis edito Characteribus Hebræis, Anno 1551. (ubi cum Commentar. Salomonis Jarchi, & versione Caldaicâ Onkeli, Arabicâ R. Saadiæ, Persica prædicta R. J. Tawusi conjuncta est) charactere Persico consignavimus, adhibitâ accuratâ punctatione, seu vocalium notatione secundùm Lexicographos Persas, quæ istic per Hebræorum punctationem haud parùm obscura atque confusa est: De qua versione Persica Encomium profert Vir Reverend. ac Celeb. Ludov. de Dieu p. m. (nostri dum viveret amantissimus,) in fine Gram-

Grammaticæ suæ Persicæ, editæ Anno 1639. ubi & de variis difficultatibus, quæ Persico Idiomati ritè per characteres Hebræos exprimendo, in exemplari prædicto officiunt, Commonefactione ad Lectorem utitur; additis insuper duobus primis capitibus Gen. Persico charactere è nostro Exemplari depromptis.

6. In ista ergo versione redditur nomen Hebræum ראם seu רים voce Persicâ כרך *Kerck* : quæ accuratissimo Lexicographo Persæ, Paraphrasi Turcicâ exponitur, *magnum animal quod in India reperitur, magnum juxta frontem cornu gerens, ac tanti roboris, ut cornu suo Elephantem attollat, ac donec illi diffluat pinguedo, sustineat*: Ad quam sanè hujus animalis fortitudinem insignem respicit passim S. Scriptura.

7. Illa autem Elephantis sublatio, ac in sublimi detentio fieri vix posse videtur super uno cornu erecto, pro-

cero, tenuiore, quale Monoceroti vulgo decantato tribuitur; ut adeò vero ſimile ſit, *Rhinocerotem*, quam vulgatus Latinus Interpres in Moſe & Jobo tranſtulit, intelligendum: Habet enim *Rhinoceros* præter unum illud cornu infra frontem, narem verſùs, quo Elephanti ventrem petit ac perfodit, (ut mox dicemus,) alterum quoddam minus, ex quo ſolent concinnari calices, magis à fronte ad cervicem vergens; ut adeò ſuper duobus iſtis cornibus commodiùs pondera ſuſtinere ac fulcire queat. Huc ſpectat illud Martialis lib. de Spect. Epig. 22. de *Rhinocerote*, qui à Diocletiano in arenam productus fuit contra Taurum & Urſum:

Namque gravem gemino cornu ſic extulit Vrſum,
Iactat ut impoſitas Taurus in aſtra pilas.

Atque ita ſanè Deut. 33. ℣. 17. *cornua* ipſi ראם tribuuntur. Quem equidem

dem locum Hieronymus ad *Rhinocerotem* spectare existimat, approbrante Baccio lib. 2. de Unicornu, quia *Unicornis Cornu numero plurium non veniat*.

8. Duorum ejusmodi Cornuum Rhinocerotis meminit Scaliger Exercit. 205. *Rhinocerotis ejus picturam vidimus*, inquit, *cujus cadaver in naufragio ejectum est in Tyrrhenum littus: Capite suillo, tergore munitus scutulato; Cornu gemino, altero in fronte*, (aliis ad vertebrarum initium,) *altero in nare robustissimo, quo audacissimè pugnat ac vincit Elephantum*.

9. Maxima certè antipathia naturalis inter hoc animal & Elephantum intercedit, (de qua vid. Franz. in histor. animal. sacra,) quam respexit in Glossario suo Persa Lexicographus; ut adeò certum sit voce Persicâ *Kerck* denotari non *Unicornem* propriè ac peculiariter ita dictum, sed *Rhinocerotem*. Pugnare utique solet hoc animans cum Elephante ita acriter, referen-

ferentibus Physiologis, ut in congressu perpetuæ simultati aut partâ victoriâ, aut saltem decorâ morte, satisfaciat. In pugna autem unicè dat operam, ut alvum Elephanti, tanquam partem molliorem, petat osseo cornu super nares prominente, eoque hostem transfodiat; dummodò injectæ ad collum & ocyssimè strangulantis Proboscidis vim effugiat.

10. Hæc naturalis harum belluarum Antipatheia apparuit, cum Emanuel Rex Lusitaniæ Rhinocerotem Romam mittere instituisset, qui in naufragio cùm esset compeditus, & ad miraculum usque evadere conatus fuisset, in scopulis Ligustricis periit. Ferunt enim hunc Rhinocerotem (ut narrat Jovius libr. 1. cap. 25.) quum ab Oceano Ulixponensi in portu exponeretur, aspectu atque odore suo Elephantem, qui tum erat in Regia, usque adeò truculentur terruisse, ut Elephas ipso Naturæ miraculo præcipuus

puus hostis, concepto incredibili pavore, septum caveæ ferreis ingentibus clathris præmunitum, humerorum & capitis præcipiti impulsu perruperit, proripiens fugam, terribilique barritu edito, stridens & furens cuncta obvia prostraverit.

11. Equidem *mite* animal Rhinoceros est, teste Amato Lusitano, comment. in Diosc. libr. 1. Enarr. 52. & *innoxium* est, nisi *lacessitum*, referente Jac. Bontio in Med. Ind. Animad. ad cap. 14. Garciæ ab Horto; Veréque, ut Martialis ait;

Seque diu magna colligit ira fera:

Attamen si irritatum fuerit, & *robustissimum* & *ferocissimum* simul sese ostendit: De insigni *robore Rhinocerotis* ac *ferocia*, cùm irritatur, elegantem historiam refert Jac. Bontius, (qui non modò centies eum caveæ inclusum vidit, sed & in sylvis vagantem) in sua Med. Indorum, Not. ad cit. loc. *Si irritetur*, inquit, hominem simul

ac equum tanquam pulicem prosternit: Quin & impetu suo, furore correpta bestia, ingentes arbores horribiliter tremere facit. Quæ apprimè congruunt iis, quæ in Sacris animali *Rêm* appellato, in Glossario Persico τῷ *Kerck*, attribuuntur: Ut adeò *Rhinocerotem* in sacris indigitari, ubi sæpiùs *Monoceros* vertitur, nobis verisimile videatur.

12. Arabicus textus Pentateuchi, Editionis Herpenianæ, nihil nobis suggerit; servat enim vocabulum Hebræum ריםּ *Rîm* (seu *Rêm*,) Versio autem Arabica R. Saadiæ, superiùs memorata, in præsentia ad manus non est. Psal. 22. ℣. 22. habet Arabs, *à cornu elato super humilitatem meam*, pro eo quod aliàs vertitur ex Hebræo *à Cornibus Vnicornium audivisti me*. At Psalm 92. ℣. 11. habet Arabs והיד אלקרן *Wáhído-lkarni*, quod verbotenus *Vni-cornem* notat; sed vertitur tamen à Maronitis in Latino, (Edit.

(Edit. Arab. Lat. Savarianæ) *Rhinoceros.*

13. Quidquid sit, apparet saltem ex dictis, verissimum esse quod dicit C. D. Cloppenburgius cit. Loc. th. 12. *Problema, quod Medici & Physici hodie disquirunt, An Vnicornis, sic dictus κατ' ἐξοχὴν, sit in rerum natura, ex nomine Hebræo determinari non posse: Quin neque determinari id posse, etiamsi constanter omnes Interpretes Vnicornem transferrent: postquam notavit Dalechampius ad Plinium libr. 8. 21. & 11. 27. esse septem animalium genera, extra hanc controversiam sex, quæ uno cornu munita sint.*

14. Hoc duntaxat monebo, *Rhinocerotem* ipsum quoque inter animalia unicornia à variis relatum esse. Plinius utique N. H. libr. 7. cap. 20. *Vnum ei in nare cornu*, inquit. Similiter Tertullian. lib. 1. contra Praxeam, unum duntaxat cornu illi assignat.

15. Interim esse *Monocerota*, (propriè sic appellatum,) à *Rhinocerote* bel-

 luam

luam longè diversissimam, non dubitat Scaliger Exerc. 205. ac Vartomano Viro optimo, qui sese duos Monocerotes vidisse scribit, habendam esse fidem ait: Ex illo autem describitur *Monoceros*, κατ' ἐξοχὴν sic dictus, à Scaligero, *Equi magnitudinem habere, crura, pedes, caput Cervi; pilos colore ballo; equi jubam, rariorem, breviorem; coxas villosas*: Plin. libr. 8. cap. 21. *Asperrimam feram Monocerotem* depingit, *reliquo corpore Equo similem, capite Cervo, pedibus Elephanto, cauda Apro, mugitu gravi, uno cornu nigro mediâ fronte, cubitorum duum eminente, hanc feram vivam negant capi*, inquit. Ab aliis depingitur *pedibus Elephanti, barbâ hircinâ, caudâ suis, unum cornu nigrum habens mediâ fronte, reliquo corpore valde simile equo*, vid. Franz. Histor. Anim. sacr. part. 1. cap. 11. Card. de Subtil. libr. 10.

16. Qui fabulosum esse credunt ac fictitium, quicquid de *Unicornibus*, peculiariter ita dictis, narratur, nullum

lum omnimo dari tale animal in rerum natura existimantes; ii Vartomanum in alterius alicujus animalis descriptione, quod perperam pro *Monocerote* propriè dicto habuerit, deceptum autumant: Non negant quidem *Cornua* illa, quæ passim monstrantur; at eadem non à tali aliquo animali, quod vulgò fingi solet, sed à Piscibus quibusdam esse contendunt: (de qua re inferiùs videbimus:) Quin &, nonnulla ex ossibus arte facta censent, eo argumento, quòd striata ac intorta in gyrum reperiantur: (ossa namque decocta inflecti ac in strias torqueri posse certum est.) Non absimilem sententiam Medici cujusdam Regis Navarræ, refert Ambr. Paræus, Chirurg. libr. 12. cap. 13. Qui ipse de *Monocerote* multis agit libr. 21. cap. 47. & seqq. usque ad finem libri.

17. Scaliger loco superiùs à nobis citato, *Quidam Recentiorem*, inquit, *qui alienis operis suas interpolant merces*, Orygem

Orygem ac Monocerotem eundem esse arbitrati sunt. Credo, inquit, *quòd legerint* ὄρυγα μονοκέρωτα. *Cæterùm hoc ejus epitheton est: At huic nostro, quod agimus, nomen proprium.* Equidem *Oryx* quoque *monoceros* seu *unicorne animal* est, de quo Arist. libr. 3. de part. anim. cap. 2. *Sunt etiam*, inquit, *qui cornu singulare habent* (μονοκέρατα vocat,) *ut Oryx, & quem Asinum Indicum appellari diximus.* Manifestè hæc duo animalia discernit Aristoteles: *Oryx bisulcum*, inquit, *asinus ille solipes est.*

18. Cardanus de subtilitate lib. 10. (mihi p. 562.) de *Monocerote* agens, quem describit equi magnitudine, pilo mustelæ simillimo, capite cervino, in quo cornu crescat unicum, cubitorum trium magnitudine, mediâ in fronte, ac rectum, in imo amplum, tendens in aciem; collo brevi, jubâ rarissimâ, & in alteram tantùm partem tendente; cruribus velut capreolo tenuibus, posteriorum exte-

riore

riore parte multo pilo villosis, ungulis bifidis: subjungit tandem, existimo hoc esse animal quod ab Aristotele *Oryx* appellatur. Certè descriptio hæc cum prædicta Vartomani, à Scaligeto recitata, non malè congruit; ut miter à Scaligero citato loco rideri Cardanum, quasi *Monocerota* sub *Rhinocorotis* nomine pinxisset; cùm longè diversissimo schemate pingat ibidem *Rhinocerota* Cardanus.

19. Paulus Jovius libr. 8. Hist. sui temp. *Vnicornem* pullo equino comparat, colore cineritio: caput pilorum congerie contectum ait, barbam hircinæ assimulari, frontem armatam habere cornu duorum cubitorum. Alii ipsum *Asinum Indicum* pro *Monocerote*, ita peculiater dicto, habent.

20. Thebet de la France Antractique, cap. 22. Juxta caput bonæ spei reperiri magnam quantitatem *Asinorum sylvestrium* ait, & *aliam quandam speciem*, quæ gestet unum cornu inter oculos,

oculos, duos pedes longum: Idem Alexandriæ se tale *cornu* vidisse refert, à Turca quodam Meccâ asportatum, quod virtutem contra venenum habere asserebat. Aristotelem hanc speciem Asinorum cornigerorum appellare *Asinos Indicos*, idem testatur.

21. Equidem notat Bellonius Observ. libr. 1. cap. 14. *Asinos feros*, qui Latinis *Onagri* dicuntur, cornu carere: necessariò itaque sequitur, inquit, *Monocera* alicujus alterius esse animalis. Ut adeò errent omnino, qui existimant, ea quæ in Scripturis S. de *Unicornu* dicuntur, posse *Onagro*, accommodari: nisi fortè per *Onagrum* alteram illam *Asinorum speciem* intelligant, quam ab Asinis sylvestribus Thebet distinguit: cujus figuram exprimit Jonston. H. N. de Quadrup. Tab. 12.

22. Non malè hîc accommodari potest id quod habet Garcias ab Horto cap. 14. *De Monocerote*, inquit, *tam*

incerta

incerta ab Autoribus referuntur, ut illum haudquaquam vidisse manifestè appareat. Ego hoc loco referam, inquit, *quæ à Viris fide dignis accepi. Inter Promontorium bonæ spei, & aliud promontorium, vulgò de Currentes nuncupatum, vidisse se affirmant terrestre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput & jubam equi haberet, (minimè tamen marinum equum esse,) cornu præditum duos palmos oblongo, mobili, quodque nunc in dextram, nunc in sinistram obverteret, modò attolleret, modò demitteret. Id animal cum Elephante ferociter præliari, ejusque cornu adversus venena laudari. Ejus experimentum,* inquit, *factum propinato canibus veneno: alterum enim canem, cui duplâ quantitate propinatum esse venenum, sumpto hujus cornu pulvere ex aqua, convaluisse; alium verò, cui exiguâ quantitate venenum esset datum, nec exhibitum hoc cornu, statim mortuum corruisse.*

23. Similiter ferè Philostratus de vita Apollon. Thyanæi, lib. 3. cap. 1. *Asinos*

Asinos sylvestres in paludibus vicinis Hyphasidi fluvio Indico, multos capi: Esse autem ejusmodi feris in fronte cornu, quo taurorum more generosissimè pugnant. Conficere autem Indos ex illis cornibus pocula, ac asserere, nullis morbis illo die affici, qui ejusmodi poculo potaverint, neque ullis venenis lædi. Idcirco Regum esse eadem pocula, & Regi tantùm ejusmodi feræ venationem permitti. Sed facetè addit: Apollonium ferum aspexisse, ejusque naturam cum admiratione consideràsse, interroganti autem Damidi socio suo, an sermoni, qui de poculo jam dicto ferebatur, fidem adhiberet, respondisse, adhibeo, si hujus regionis immortalem esse Regem intellexero.

24. Nempe, in immensum sæpe extolluntur nonnulla, quæ fortè non omni planè laude sunt indigna: Velut ea, quæ fortasse pro auxilio esse possunt qualicunque, ab impostoribus quan-

quandoque, ac temerariis Medicastris, pro Panacæa venditantur, ac omnibus morbis promiscuè, nullâ habitâ causarum ratione, nullâ morbi temporum, neglectis remediis melioribus ac planè necessariis, neglectâ omni methodo, cum strenuis at fallacibus pollicitationibus, adhibentur. Cœterùm prædictos *Asinos Indicos* Scaliger in Comment. ad Aristot. libr. 2. Histor. Anim. pro *Monocerotibus* habendos censet.

25. Cornelius à *Nieulandt*, Præfectus S. Pauli de Loanda, literis ex Angola datis Anno 1643. narrabat in penitioribus illius Regionis *Unicornem* reperiri, licet rariùs, quem Nigri *Bembe*, & *Poccabembe* appellent: seque integrum ejus cornu habere referebat; sed alterius Ideæ, quàm quæ in Europa pro Unicornium cornibus venditantur: (fortasse nigrum quoque, ac non striatum & quasi contortum;) Interim experimentum facul-

tati

tatis ex ipso cornu nondum fecisse: at Nigros asseverare constanter, valere contra genus omne veneni. Certè, quod dicit Amatus Lusitanus Com. in Dioscor. lib. 1. Enarrat. 52. id etiamnum verè dici potest. *Quale animal Unicornis sit, præter ea quæ ex Plinio accepimus*, inquit, *nihil quicquam certi habemus: Nec Lusitani nostri*, inquit, *qui interiora Indiæ penetrarunt, de animali hoc aliquid nobis referre norunt: Fatentur tamen apud Indiæ Reges Cornu Unicornis, sive Monocerotis, in maximo esse pretio; imò Medici Lusitani nostri, qui diu apud Indos Artem medicam exercuerunt, & ad nos reversi sunt, dicere solent, nullum apud Indos validius aut potentius Antidotum contra venenum & febres pestilentiales reperiri hoc cornu Unicornis.*

26. In littore Groenlandiæ *Cornua* non raro à Nautis nostris reperiuntur, quæ omnia recta quidem, at canaliculis striata sunt, & cochleæ instar tenuibus immissuris spiralibus circum-

cumducta, ductibus ipsis, seu striis ab imo ad summum spirali circuitu se inflectentibus. Quæ verisimile dudum visum est, *Piscis* alicujus *cornua* esse. Atlas Mercatoris, in Islandiæ descriptione, notat circa Islandiam *Piscem esse*, *Narhual* dictum, cujus carnem si quis comedat, eum statim mori: habere autem *dentem* in anteriori capitis parte prominentem ad septem cubitos, quem nonnulli pro *Monocerotis Cornu* vendiderunt. Credi etiam adversari venenis.

27. Bellonius Observat. libr. 1. cap. 14. ait, id quod vulgò pro *Cornu Unicornis* venditari solet, esse *dentem Piscis*, Gallis *Rohart*, Septentrionalis maris accolis *Morß* appallati. Idem duo *cornua* ostendi refert in D. Marci Thesauro apud Venetos, sesquicubitalis utraque longitudinis, crassiora infernè quàm supernè, crassiore tamen parte tres pollices conjunctos non excedente: quæ notæ, inquit, satis respon-

spondent iis, quas Veteres *Asini Indici cornu* tribuunt; attamen reliquas notas testatur non convenire.

28. *Scimus etiam*, inquit idem Bellonius, *ea quæ Angliæ Rex habet, striata, & ingyrum canaliculata esse; quemadmodum & illud, quod apud Dionysii Phanum est, quod omnium maximum existimamus, inter ea quæ hactenus conspecta fuerunt. Majus præconium meretur quam aliud quodvis cornu, quod in animali procreatum vidimus. Naturale enim est, haud artificiale; in quo omnes notæ, quæ alterius animalis cornu conveniunt: Et quoniam concavum est, existimandum est non esse deciduum, contrà quàm Cervis & Hinnulis, quibus decidunt. Nullus est proceræ quantumvis staturæ, qui ad illius summitatem pertingere queat: septem enim magnos pedes longum est. Decem & tres duntaxat libras & uncias quatuor pendet; si quis tamen sublevet, plus quàm decem & octo libras pendere existimabit. Ejus figura recta est, instar cereï, inferiori parte crassâ;*

deinde

deinde paulatim usque ad mucronem gracilescens: Ejus etiam crassitudinem manus complecti nequit, cum quinque digitos in diametro habeat; atque si quis funiculo circumferentiam metiatur, palmum & tres digitos inveniet. Inæquale nonnihil est eâ parte, quæ capiti inhæsit, totâ denique reliquâ lævi & politâ: Tenuibus canaliculis striata est cochleæ in morem, ab infima parte ad extremum mucronem, à dextra ad sinistram omnibus striis in gyrum vergentibus, quemadmodum in limacum testis, aut fuste quem periclimenum ambierit. Ejus color non omnino albus est: Nam temporis injuriâ fuscum nonnihil redditum. Integro pede cavum est, aut eo magis, infimè, quà ossi, quod capiti firmiter adhæsit, insertum fuit. Hinc judicare licet, minimè deciduum esse. Cùm porrò tantum onus animalis capiti incumbat, animal quod illud gestat ingentis corporis, nec leve minùs esse, conjiciendum. Hæc Bellonius. Quæ eadem reperiuntur apud Aldrovandum de Quadrup. libr. I. cap. 6.

29. Illi verò descriptioni per omnia ferè congruit quoad figuram ac conformationem, illud quod An. 1645. Amsterodami lustravi, recens per Nautas nostros ex Groenlandia allatum, ac in littore Spitsbergiæ repertum: quod ab Assessoribus Societatis Mercaturæ ac Navigationis Groenlandicæ curiosè asservatur. Ossi capitis id hærebat infixum, non adhærente ampliùs mandibulâ inferiore: ut adeò manifestum sit, ex natura nasci quasi tortilia ejusmodi cornua, non arte facta esse, ut nonnulli opinabantur. Et sanè, similes tortilium striarum ductus, ac fibrarum quasi in spiram inflectiones, licet obscuriores, repræsentant quoque Arietum nostratium cornua; ac in Phaseolorum planta, aliisque similibus Convolvulorum generibus, non absimiles strias in gyrum spirali ductu assurgentes, observamus.

30. Prædictum autem *Cornu*, ex Groenlandia allatum, non è fronte enatum erat; sed rostri instar è parte extrema & anteriore ossis capitis procedebat in directum, rectàque ad extensionem illius antrorsum exporrigebatur, eo modo, quo *Xiphii* pisces dicti gladium vel serram dentatam secundùm extensionem corporis in directum exporrigunt. Quod certissimò indicio est, aquatile animal esse, utpote quod in terris cibum capere non posset: aut saltem, si in terris quoque exspatiari contingat, amphibium esse.

31. Ossi capitis lat vasto, ac magnitudine caput integrum equinum aut bovinum longè superanti, ad quatuor circiter palmorum longitudinem cornu insertum erat, in strias procedens, sinistrorsum, mox ubi è capitis osse enascitur, haud aliter atque à Bellonio paulò antè est depictum; ac desinens in subtilissimum acumen.

Longitudinem deprehendi ſeptendecim palmorum, ſeu ſex circiter pedum: Craſſitiem, ubi è capite enaſcitur, funiculo circumjecto ſumptâ menſurâ, ſex digitorum cum quadrante. In ipſo Capitis oſſe, haud longè ab enato cornu, duo obſervabantur foramina, juxta invicem ſita ſecundùm oſſis latitudinem, veluti in Xiphio piſce obſervamus. Dentibus omnino os illud capitis carebat; velut & terreſtria animalia cornigera ſupernè primores dentes non habent. Foramen, unde cerebri medulla in ſpinam dorſi exporrecta fuerat, in poſteriori parte conſpicuum, è directò reſpondebat ipſi cornu: ex quo demum cùm Amſterodamum eſſet allatum, fætida medulla exempta fuerat. Juxta ipſius cornu radicem, pars oſſis ab uno latere abroſa cernebatur, ibidemque dentium, quibus facta abroſio, veſtigia manifeſtè deprehendebantur: Ut veriſimile ſit, ſiquidem amphibium animal

mal non ſit,) quandoque oſſa illa, & cum iis cornua inſerta, ab urſis, vel id genus aliis robuſtis animalibus, è littore in vicinos montes ac loca ſylveſtria, eſcæ cauſâ, dum adhuc recentia ſunt, & adhæreſcit caro, transferri: Nec enim inſignis gravitas eſt, quæ ipſa maximam patrem à capitis oſſe additur. Cornu prædictum nitore ſplendebat, ac eboris inſtar candicabat.

32. Aliud ibidem cernere erat fragmentum, decem palmos longum è capitis oſſe exemptum, radicem habens, quâ inſertum fuerat, palmorum quinque: craſſities illius in circumferentia juxta radicem octo erat digitorum: Hoc magis fuſcum erat. Erat & ibidem aliud integrum, ſed minus, undecim palmos longum, præter radicem, ſimili modo ut præcedentia conformatum. Anno autem ſequenti (1646.) aliud Amſterodamum advectum fuit Cornu ex Groen-

landia, à nauta quodam privato, (præter alia minora cornua,) longitudinem habens septem pedum cum semisse, circumferentiam inferiùs circiter novem digitorum: Quam mensuram mihi communicavit aliquando Clarissimus Collega meus p. m. D. *Christophorus Matthæus*, Med. Doct. atque Logices in Illustri Athenæo Gelro-Velavico, dum viveret, Professor.

33. Quamvis autem hæc cornua Eboris instar prædura sint; habent tamen crustas crustis inductas, (velut in cœpis tunicæ tunicis sunt involutæ, aut in Lapide bezoar cortices corticibus superinductæ;) Quod equidem in superiori diffracto, (de quo dixi,) apparebat manifestè, in quo particula extremæ crustæ exemptâ erat: interior verò simili modo lævis ac polita cernebatur, nec aliâ ratione striis & canaliculis spiralibus insignita, quàm exterior. Cavitas autem in radice amplior est; eaque mox angustior

ſtior reddita ad exortum cornu extra cranium prominentis, paulatim ipſius cornu decrementum verſus cuſpidem imitatur: ita ut fragmentum prædictum eâ quidem parte ubi diffractum erat, ſeu ubi ſuperior & acuminata portio erat ablata, vix minimum digitum cavitate exciperet. Illa ſecundùm longitudinem exporrecta cavitas (quam Bellonius non obſervavit) *cornu* eſſe potiùs, quàm dentem, arguere videtur; quamvis in ipſum os capitis profunda inſertio ſuadeat contrarium.

34. Ab ultimo illo, quod à Societate Groenlandica aſſervari commemoravi, experimentum aliquoties ſumptum fuiſſe, retulit mihi ex Aſſeſſoribus non nemo (*Monſr. Le Fevre*,) qui ſcrupulo uno pulveris ejuſdem copioſum prolici ſudorem teſtabatur. Similem illius cornu virtutem tradit Th. Barthol. Cent. 4. obſ. 4. Ita notatum vidi à Nobiliſſ. & Ampliſſ. Vi-

ro, p. m. D. *Ernesto Brinckio*, Consule Harderviceno, *Vnicornu* illud, quod ad Fanum Dionysii asservatur, in obscuro aræ fornice, aquæ extremâ sui parte immersum esse, ex qua aqua potu hausta utentes in copiosum solvantur sudorem.

35. Sed inquit Bellonius cit. paulò antè loco: *Vnicornu apud Veteres in usu medico nullius fuisse autoritatis: nam*, inquit, *si quem habuisset, Autores procul dubio eam non reticuissent. Aristoteles inter ea animalia: quæ bisulcam ungulam habent, Orygem recenset Vnicornem*, inquit, *at facultatum cornu non meminit. Columellæ etiam Oryx cognita*, &c. *Quod si Romani*, inquit, *res exoticas plurimum æstimantes, tam insignes Vnicornu (quales nunc illi tribuuntur,) facultates intellexissent, haudquaquam eas silentio pressissent. Non negamus*, inquit, *quin Vnicornu rarum & pretiosum æstimarint: sed non ut in medicamenta reciperetur, quemadmodum nunc fit. Eam ob causam, ut in-*

ut ingenuè quid de eo nobis videatur, dicamus: Comperimus Unicornu Veteribus cognitum nigrum esse debere; id tamen quod apud nos in usu, candidum est. Et Paulò post: *Unus Ælianus* (libr. 4. cap. 52.) *auctor est, Unicornu Medicum usum præstare; attamen illud nigrum facit: cùm verò nostrum alterius coloris sit, dicemus ab eo quod veteres descripserunt, diversum esse: præsertim cùm ipse Ælianus scribat, Asinum Indicum cornu in fronte gerere, cui interior pars alba sit, superior phœnicea, media verò planè nigra.*

36. Equidem, plura esse majora *animalia Unicornia* diversi generis, certum est; at cornua animalium toto genere differentium non esse ejusdem naturæ, adeòque nec earundem virium, omnino non est dubium. Fieri autem potest, ut fortè *cornua Unicornium* diversa Antiquis fuerint cognita, nullius vel exiguæ virtutis Medicæ, at aliud quoddam *Unicornu*, quod magnæ in Medicina facultatis sit, de-

mum ſubſequenti ætate poſſet innotuiſſe: Ac vero ſimile eſt, illud ipſum quod Bellonius fortè *Piſcis dentem* exiſtimavit, quod aliis *Piſcis* cujuſdam cornu habetur, non fuiſſe viſum Veteribus, vel exploratum. Natura rerum Sacra ſua non ſimul omnia pandit: Non una ætas omnia invenit. Multa etiamnum noſtris obſervantur oculis, quorum facultates ignoramus: ipſi Poſteri, nobis ſucceſſuri, mulra hactenus nobis incognita comperient, noſque tam aperta neſciviſſe forſan mirabuntur. Cæterùm prædictum illud *Piſcis cornu*, non modó *verum Vnicornu* non eſſe, ſed ne quidem *verum* eſſe *cornu*, ſed *dentem* omnino eſſe, rationibus Olai Wormii ac ſuis comprobat Th. Barthol. magni Parentis magnus filius, de Unic. cap. 15. Ac inter alia, *illo cornu ficto*, inquit, *totas naves onerarias implerunt nuperrimis annis mercatores noſtri, atque in Europam pro vero Vnicornu intuliſſent, niſi detractâ larvâ*

larvâ à peritioribus pro marino agnitum fuisset & detectum.

37. Verùm, antequam de *Unicornu vulgari*, quod in Officinis dudum venditatur, (etiam ante Cornua Piscium frequenti numero asportata,) quod in maximo haberi passim solet pretio, definiamus quicquam; varia *Unicornuum* genera sunt priùs expendenda obiter, ac contemplationi pleniori suggerenda: De *Æliani* quidem illo *Unicornu*, quod Medicum præstare usum asserit, nil certi possumus asseverare; nisi quatenus ex parte cum Philostratæo, paulò antè tradito, videtur convenire: verùm id non convenire cum vulgari nostro Unicornu, satis ipse color arguit; *Scaligeri* quoque *Cornua Monocerotum*, non omnia ejusdem sunt coloris: *Subflavum* unum est; unum *subluteum*, accedens maximè ad *buxum*; unum *subpuniceum* recenset: Etiam habemus frustum *candidum*, inquit: At interim *cornutum*

piscem, quem tradidimus, cornu gestantem candidum, nescivit; *animal terrestre* descripsit. De quo quidem animali inquit Franzius, *habere cornu bicubitale, intus candidum & splendidum; sed foris nigrum, propter corticem quo tegitur*: Quod fortè rectiùs quadrabit in *Rhinocerotis cornu*, quàm in *verum Unicornu*. Certè tantâ virtute contra venena valere creditur *Rhinocerotis cornu*, ut in locum *Unicornu veri* substituatur à Garcia ab Horto, Monarde, aliisque; ac Franciscus Pena in novam Antidoti sui compositionem idipsum adoptarit: De qua re videatur Th. Barthol. de Unicornu cap. 21.

38. *Piscium* autem *cornua* esse, seu *animalium aquatilium*, quæcunque in Europa dudum celebrantur, relata in Principum thesauros, atque magno æstimata pretio, striata nempe illa, certum nobis & indubitatum est, qui tale cornu, ossi capitis inhærens etiamnum,

num, vidimus: ſunt autem conſimiliter formata omnia, erecta, ſtriata, intus cava, ac è paulò latiore ambitu inferiori, æquabiliter in cuſpidem ſurgentia. Ejuſmodi eſt illud quod in Arce Windſor Angliæ conſuevit aſſervari; tale item quod in Fano Dionyſii in Galliis: Similia ſunt tria, quæ ſolebant Ultrajecti conſpici, ad Fanum D. Virginis, (Henrici IV. donum elegans;) ad quorum apices confecta erant aurea candelabra. De iis quæ ſunt Amſterodami nihil repetam. In Zelandia alicubi conſimile aſſervari cornu, ſtrigoſum, ex albedine quodammodò flaveſcens, longum ped. 12. ex prænominato D. Brinckio olim cognovi: ferebatur hoc à Nautis in ſcopulis Groenlandiæ, non longè à maris littore, repertum; procul dubio ab Urſis aliiſve feris paululùm à littore ablatum.

39. Reperiuntur etiam *Cornua foſſilia*, ſimilitudinem externam Cornu,

 at la-

at lapideam potiùs naturam obtinentia, quæ pro *Unicornibus* venditantur. Cùm vallo ac munimentis cingeretur Orsovia, ex ipsa fossa eruta sunt *tria* ejusmodi *cornua*, sesquicubitalia circiter, quæ à militibus ac operariis diffracta sunt, ac inter varios distributa. In paludosis prope Goudam locis simile cornu à Rustico fossore olim inventum, ac tenui pretio mercatori cuidam venditum. Similiter aliquanbo in patria mea, in Comitatu Moersensi, non longè à Rheni ripa, simile cornu à Rustico quodam erutum: Simileque prope Velasiam, juxta Lippam fluvium inter fodiendum inventum Anno 1622. Prope hanc nostram Groningam, *in 't Groninger Diep*, ante plures annos elegans ejusmodi *cornu fossile* repertum esse, ac divenditum alicui Canonico, qui sibi è parte crassiore torno poculum concinnari curârit, ex privatis Observationibus rarioribus Nob. & Ampl. D. Brinckii olim

olim notavi: Ex illo autem tornatili opere colligi poteſt, ſolida eſſe *foſſilia* illa *cornua*; non ut prædicta Piſcium, *cava.*

40. *Ejuſdem generis* putem eſſe illud quod Dreſdæ in Aula Electoris, ac ejuſdem Gazophylaceo aſſervatur, ferè utrimque eandem habens craſſitiem, undecim ſpithamos longum, aureâ catenâ è trabe ſuſpenſum, cum adhærente ſagitta, ex ſimili ſubſtantia confecta.

41. Haud abſimilis ſubſtantiæ fuiſſe reor *Placentam* illam ex *Unicornu fuſo* quæ inter Rariora Paludani Enchuſæ conſpicienda fuit, ex donatione Sereniſſ. Electoris Brandeburgici, figuris quibuſdam impreſſis ornata, cum hac inſcripſione.

Mein ahnfang hatt die Erd gebracht,
Ich bin auß blutt vndt fleiſch gemacht,
Ein todt bein war ich lange zeit,
Nuhn lehrt man erſt mein herrlichkeit.

42. Equi-

42. Equidem reperiri etiam *Ebur fossile*, notat Andreas Lacuna libr. 2. cap. 50. comm. in Dioscor. sed à quo id edoctus miratur Garcias ab Horto libr. 1. cap. 14. quandoquidem, inquit, nihil à veritate magis alienum. At Carol. Clus. Annot. in cit. Garciæ locum hæc habet: *Lamulis quibusdam Eboris fossilis, quæ nativum æmulantur, sed crusta quadam candidissimâ inductæ sunt, biennio antè quàm Garciam Latinum facerem, à Rassio nostro, omnium Naturæ miraculorum diligentissimo observatore, donatus sum. In Italia erui hoc Ebur intelligo, & magno in usu istic esse adversus virulentorum animalium morsus. Habeo deinde aliis in Provinciis erutum, & apud quosdam Amicos conspexi.*

43. De *Piscibus* item *fossilibus* vid. Jonston. Admirand. Pisc. cap. 22. & H. N. Pisc. libr. 2. tit. 2. cap. 7. item Georg. Agricolam, peculiari de Animant. subterran. libro, prope finem; Ac imprimis Claud. Dausquium de

Terra

Terra & Aqua lib. 2. cap. 9. ubi, reperiri *Pisces fossiles* testimonio Empedoclis, Aristotelis, Theophrasti, Strabonis, Athenæi, Polybii, Plinii, Senecæ, aliorumque probat: multa ibidem de hac materia lectu dignissima, habet citatus Autor: ex quo libet hoc saltem recitare: *Goropius Becanus, multijugæ lectionis Vir, quique de multis judicio acerrimo dissernit libr.* 3. *Niloscopii, p.* 241. *hæc:* In *litore Anconitano saxa magni ponderis, quinquaginta & plurium etiam librarum, è mari trahuntur: his color & constitutio exterior ea est, quæ lapidi Aëtiti, &c. Rumpuntur hæc saxa majoribus malleis, magna vi impactis, ... quo pisciculi delicatissimi extrahuntur, ejusdem generis cum Solenibus, quas Cappas longas Veneti appellant; sed eo delicatiores, quòd non aquâ marinâ, sed rore quodam tenuissimo per lapidem imbibito pascuntur. Hi plures numero, ad viginti, modò plures, modò pauciores, ita saxo includuntur, ut singulis suus sit nidus, ad ma-*

ad magnitudinem & figuram piscis omnibus lineamentis respondens : inter nidos saxeo interstitio relicto: Ex his veluti è vaginulis rupto lapide eximuntur integri Solenes, ad palatum & lumbos delicatorum plurimum facturi. Quod si in his saxis vivos, absolutosque, cum unguiformi sua fistula; quid sub terra? sub limo, & cano? Theophrastus, *Atque huic non est absimile, quod in Ponto accidit, ubi gelati pisces capiuntur in glacie, qui non antè aut moventur aut sentiunt, quàm in ollis positi sint, & elixentur. Quod præ cæteris gobionibus accidit.* Eâ re dictum Senecæ lib. 3. Nat. Quæst. cap. 17. *Non cum retibus aliquem, aut cum hamis; sed cum dolabra ire piscatum.* Ibidem: *Et sunt qui fabulas putent, piscem vivere posse sub terra, & effodi, non capi.*

44. Tales *sub terra immobiles Pisces* agnoscit Arist. libr. de Respir. qui fodiendo inveniantur: Ac cur inibi non suffocentur, causam reddit, quòd, quæ carent pulmone, aut eo exsan-

gui

gui ſunt, minùs reſpiratione indigeant. Cùm autem in talibus paſſim reperiantur locis, ubi ex aquarum inundatione hæſiſſe nulla queat eſſe ſuſpicio, ac impoſſibilis ſit mutuus coïtus, ut loquitur Theophraſtus, ſuâ ſponte ibidem provenire cùm hoc ipſo ſtatuendum eſt. De *Carne* item *Foſſil.* videatur Jonſton. Admirand. Foſſil. cap. 35.

45. Unum de *Unicornu*, dignum fortè admiratione, ſubjungam. Notat Ampliſſ. D. Brinckius ex aliorum relatu, prope Pragam Bohemiæ, juxta fluvium, à quodam Ruſtico *Unicornu cum cranio* è terra aliquando eſſe erutum, quod in Theſaurario Imperatoris aſſervetur. Crediderit fortaſſe quiſpiam, protuberantem ac magis luxuriantem materiæ partem, *Cranii* portionem mentiri: At certè reperiuntur etiam in Germania & Italia *ex terris effoſſa integra animalia petrificata, & animalium partes, dentes, oſſa, tibia, maxillæ,*

maxillæ, ac ita inter cœtera etiam *cornua*: Aliquando & *ligna fraxini*, *juglandis*, alia similiter, in lapidem versa, ita ut aliquando species ligni nosci, imò interdum odor deprehendi queat: ut exemplis variis refert. Casp. Barthol. de Unicornu, cap. 9. Verùm ad similia hic ultimis miracula lustranda, non est quod in Italiam vel Germaniam transeamus: vicinæ nostræ paludes cespitosæ peramplam nobis hujusce rei materiam suppeditant: Non tamen illa nostratia corpora sub Paludibus subnata esse, sed submersa potiùs, existimo.

46. Cœterum *plures Unicornium species* inter animalia majora recensentur: Et *octo* quidem *genera* constituit Barthol. Opusc. de Unicornu, cap. 1. Ac inter minora animalia *tria genera* addit. Recenset etiam *Serpentes Unicornes* Albertus magnus, referente Aldrovando de Quadrup. libr. 1. cap. 7. Velut & *bicornes*, *tricornes*, & *multicornes*.

nes. A Cornibus nomen accepit *Cerastes*, ſerpens perquam maleficus & peſtilens. Recenſet & *volatilia inſecta Vnicornia* idem Aldrovandus: è quorum genere & bicornia ſunt, quale eſt illud quod *Cervus volans* dicitur, quia Cornua ſimiliter ut Cervi ramoſa habet, quæ occultâ quadam proprietate ſpaſmo mederi, ſi tantùm manu retineantur, ex Viris fide dignisſimis ſe accepiſſe citatus Autor refert. Quin & *Rhinoceros avis* occiſa dicitur in aëre, & in ipſo volatu, cùm Turcam Chriſtiani acie ſuperabant navali, ut ex aliis refert Jonſton. Admir. Avium cap. 25. Caput duorum propemodùm dodrantum, inquit, cirris ornatum, nigris, altis, deorſum ſpectantibus: Roſtrum propemodùm dodrantes longum, recurvum, inſtar arcus cujuſpiam: *Cornu* è fronte naſcitur, & ſupinæ roſtri parti adhæret, magnæ molis: nam prope frontem palmium unum latum eſt. Videtur eſſe Aldro-

Aldrovando *Trapopanada* Plinii. *Alias item Avium* & *Insectorum Unicornium* species refert. Thom. Barthol. de Unicornu cap. 7. 8. 9. Sed ista obiter.

47. Ex prædictis apparet, quid de *Unicornu vero*, ejusque *in Medicina* usu sentiendum sit? Quis è tot generibus *verum* præ reliquis aperuit? Quis *vires* dudum decantatas, huic potiùs quàm illi speciei tribuendas ostendit? Quin imò quotus quisque Pharmacopœorum, Simplicistarum, vel aliorum privatorum, qui *Unicornu* jactant, qui magno illud pretio divendunt, certus est, se vel *Asini Indici*, vel *Orygis*, aut *Bovis sylvestris*, vel alterius cujuscunque *terrestris animalis* cornu possidere, vel frustula decerpta à *Cornibus Piscium*, vel *fossilium cornuum fragmenta*? Quotusquisque eorum qui lucro exinde inhiant, unquam experimentum fecit facultatum rei, quam magno pretio divendit? An verò futilibus rebus, ac fortè magis noxiis quandoque,

doque, quàm utilibus, omnino autem interim incertis, tantam illico virtutem, tantum valorem, aſſignabimus, quòd in Officinis *Vnicornu* nomine audiat.

48. Equidem *Verum dari Vnicornu*, ſeu ſubſtantiam aliquam, quæ tali nomine audiat, ac interim ſingulari polleat virtute, in dubium non voco; nec decantatas contra venena laudes *vero Vnicornu* detraho; dum interim idem nequaquam omnibus morbis promiſcuè convenire contendo: Interea verò, quis, ubi ægro *Vnicornu* præſcripſero, me certiorem reddet in tanta ambiguitate, *Verum Vnicornu* depromptum iri ex Officina, *verum* in Urbe reperiri? quis contrà metum ac ſolicitudinem mihi eximet, ne fortè pro Unicornu materia quæcunque noxia ac lethifera proferatur, ipſeque, dum magis certa ac ſalutaria remedia negligo, incerta præſcribo, mortis cauſam præbere cenſeri queam?

An

An non observanda potiùs aurea illa admonitio Horstii, quam recitat Wolfgangus Hoeferus, Ferdin. III. Imperatoris Aulæ Medicus, in suo Hercule, libr. 8. (p. 353. *Quia Vnicornu, aliaque similia, ob pestilens lucrum multoties adulterari, ac difficillimè dignosci solent, cautos in exhibendis talibus nos esse oportere, ac præstare notioribus, tanquam certiùs expertis, uti, v. g.* Cornu *Cervi, terrâ sigillatâ*, &c.

49. Judicium hac de re magni Medici, Zacuti Lusitani, recentis Scriptoris, subjungam, ac desinam: Sic ille Med. Princ. Hist. libr. 1. obs. 36. de *Vnicornu*, de quo multa fabulosa ab Autoribus passim proferri aït:) *Audivi quosdam, qui Vnicornu pro curandis melancholicis symptomatis, & refrænanda cujusvis veneni potentia*, aliis *Bezaarticis medicamentis anteponendum esse crediderunt. Sed cùm usus illius adhuc sit incognitus, quum verum Vnicornu* (NB) *in domibus Magnatum vix reperiatur*, (*ut refert*

refert Gesner. libr. de Quadrup. cap. de Vnicornu, & passim pro eo Boum aut Equorum ossa vendantur, in eorum opinionem descendere non possum. Et paulò post: *Explicare debuissent, qui tanti hoc cornu faciunt, ex quo animali id esset desumendum. O! Vtinam explicuissent, ne in re tanta tota periclitaretur Medicina! Et maximè, cùm in hoc sibi non constent, qui modò solum Asinum Indicum esse Vnicornem, modò in Æthiopia esse boves Vnicornes scribunt. Quâ ambiguitate intricati plures, plus alia viliora præferunt antidota, quàm rem pretiosissimam, thesauris Regum anteponendam, qui vix in Principum domibus reperitur. Si tamen legitimum habeatur, (quod puto fere impossibile,* inquit,) *non dubito mirabiles contra quodvis venenum præstare utilitates. Quod enim à circulatoribus passim circumfertur,* (addo quod in Officinis passim prostat,) *nullius momenti est, nec commoditatem ullam parere potest.* (Quomodo autem *verum Vnicornu* explorari debeat ex

alils exponit Wolf. Hoeferus loc. paulò antè citato: de qua re pluribus Th. Barthol. de Unicornu, cap. 29.)

50. Cùm ergo incertum omnino sit an *verum Unicornu* in officinis nostris ullibi reperiatur, quin imò sit certissimum, plerumque fucatum aut falsum pro vero venditari, ipsosque Pharmacopolas non nisi aliorum, (lucro potiùs inhiantium, quàm incolumitati ægrorum studentium, fide niti in talibus; viderint, quæso, quàm probè Ægris consulant imperiti Medicastri, Impostores, qui nec morborum, nec corporum, nec causarum morbificarum cognitionem habentes, sine Arte, sine methodo, temerario ausu promiscuè *Unicornu* præscribunt; idque in morbis sonticis, ubi verè præceps occasio, ubi mora ipsa lethifera; dumque sub tali medicamine (detur hoc prætextui, dum interim alius lethalis error committitur) spe inani miseros decipiunt, ac

interim

interim persuasionibus suis à meliori cura, à melioribus remediis, (quæ ipsi non intelligunt,) eosdem arcent, viderint, inquam, an non mortis caussam præbere censendi sint.

DE MONOCEROTE,

Ex Annot. D. Guidon. Patini, Medici Parisiensis, ad Tractatum de Peste D. Nic. Ellain.

VT portentosus extitit, qui ex commentitio de Monocerotis cornu manavit abusus, sic plurimorum Medicorum laudanda consilia, qui identidem suo quisque tempore, solidissimis rationum momentis illud expugnarunt, omnique experimentorum genere proscribere aggressi sunt, dubioque procul amandatum prorsus fuisset exolevissetque, si malè cautum vul-

gus, cujus facilè luditur ingenium, fraudem non adjuvisset promovissetque, majori fide Empiricis Agyrtisque commodatâ, quàm Medicis, qui ejusmodi ludionum inventum profligare seriò moliti sunt. Verùm (Dei benignitate) irritus non fuit illorum conatus. Nam si usquequaque sublatus abusus non est, valde certè attritus penèque extinctus est, Veteratorum opprobrio, quibus technas fraudesque prorogare volupe est. Quamobrem hîc de eo multis non agam, aliquot duntaxat adductis rationibus, quæ curiosis satisfacere poterunt, ut ultimam huic monstro mactando manum adhibeam. Primò maxima discrepantia dissensioque est inter Scriptores penes Monocerotis essentiam. Secundò in ejusmodi cornibus non sapor, non odor, aliave qualitas existit, quæ luculentum ullum salubritatis effectum prodere valeat. Tertiò, cùm cornuum materia siccissima sit, malè affectum corpus minimè

nutrire,

nutrire, nisi forsan exsiccando, valent; quod longè commodius ex boum arietumve cornibus passim obviis efficeretur, quam ex id genus suppositio, ex mari, (ut ajunt) rubro transvecto, ut splendidiùs veneat, & auro contra pendatur. Quartò, neque Hippocrates, neque Galenus, aliusve Medicinæ alicujus nominis autor, ullam unquam virtutem cornu Monocerotis ascripsit. Si quid verò ab aliquibus de eo scriptum, id ex auditis aliorumque relatu hæsitanter affirmatum. In re autem tanti momenti, Agyrtis, ex mendacio fraudibusque lucrum captantibus, neque peregrè advenientibus temerè credendum est. Quapropter unumquemque candidè hortor, ne ab hujusmodi captiosa merce ludificari se patiatur, cum longè efficacioribus, præ hoc mentito, Cornu Cervinum, viribus antestet. Eruditissimorum Medicorum autoritate nostra sententia fulcitur, maximè DD. Capellani, Dureti, Petræi,

 Altini,

Aitini, Scholæ quondam Parisiensis Doctorum; Mercurialis, Baccii, Sylvatici, Italorum; Thomæ, Erasti Germani; sexcentorumque aliorum, quorum rationum momenta diffusius alias sumus enucleaturi. Quòd si qui adhuc sint, qui fucum sibi fieri aveant, malintque vesanis improbisque nebulonibus, quæstum inde aucupantibus, quàm consultissimis candidissimisque hominibus, ex animi sententia rerumque peritia de eo monentibus credere: eis saltem autor fuerim, ut periculum faciant: tumque suo comperient damno, quæcunque de ejusmodi cornu mirabilibus memorantur, meras esse nugas: tumque respondere poterunt, quod Apollonius Damidi sciscitanti, num crederet mirandis virtutibus, quæ vasculo ex cornu Monocerotis conflato tribuebantur, festiviter respondit, *Credam, inquit, ubi rescivero ditionis illius Regem esse immortalem.* Sed hæc satis de Monocerotis supposititio cornu. Qui plura

velit,

velit, Paræum *libr.* 21 *Chirurgiæ* legat, ubi ſtrenuiſſimis rationibus experimentiſque anilia de illo ludicro amuleto deliramenta perdoctè refutantur.

Operæ pretium porrò me facturum arbitror, ſi ſequentes rariores Obſervationes, ab Excellentiſſ. ac Celeberrimo Viro, D. J. CASP. FAUSIO, *Archiatro Palatino; & in incluta Heidelbergenſi Academia Medicinæ Profeſſore primario, mihi ſubmiſſas, adjungam, facientes imprimis ad declarationem* §. 45. *ac uberiorem de Monocerote, animali celebratiſſimo, cogitandi occaſionem ſuggerentes.*

ANTONIO DEUSINGIO,

J. CASP. FAUSIUS, S.

Nobilis, Clariſſime, atque Excellentiſſime Vir, &c.

JUcundiſſimæ tuæ cum gratiſſimis munuſculis incredibili me affecerunt gaudio, non ſolùm ob rei ipſius dignitatem, quod memoriam noſtri

apud tantum Virum viderem nondum esse obliteratam, verùm etiam quòd summum rerum omnium momentum attigerint, id est, in tempore venerint, quo quàm maximè talia, ad discutiendam & detergendam gravissimam ex infinitis curis & laboribus prognatam animi ægritudinem, optassem. Satisfaciam iis omnibus, si non ut Tu quidem & mereris & desideras, at quantum vel virium & ingenii mei tenuitas, nec non & temporis angustia permittit, cujus apud me dispensatio tam exacta, ut hæc ipsa apud Nobilissimum quendam Consiliarium Archipalatinum, in extremo vitæ periculo constitutum, intempestâ nocte exarare cogar. Quam autem breviter & methodicè illa, quæ ab aliis prolixè & dispersè de Monocerote & Lapide Bezoar fuerunt commemorata, tanquam diligentissimâ assiculâ selegisti, congessisti? Movit me hæc tua diligentia, ut quæ mihi præter ea comperta sunt, neglecto scriben-

scribendi labore & temporis dispendio, Tibi vicissim transmittere voluerim. Et prolixiùs quidem ex Decade Fabularum elegantissima Johan. Walchii exscripsi, Viri docti, fide digni, & apud nos paucos ante annos satis noti: Brevius autem scriptum pars est Epistolæ Clarissimi Conerdingii Medici Hanoverani, qui simul specimen Ossium, quorum mentionem fecit, ad me transmisit. Ex quibus primum Dens est molaris, digitum latus transversum, longus articulum pollicis anteriorem, altus latum pollicem, cujus quatuor inferiores radices præfractæ, pars superior egregiè splendens, saxeâ undiquaque, imò siliceâ duritie. Alterum Dens Caninus maximus: Leonis fuisse diceres, tantâ quoque duritie, ut nihil inde deradi possit. Tertium pars tibiæ videtur, cava intus ut digitum facilè intrudas, mollius tamen, ut scobem nullo negotio deradas. Unicornu vel Ebur fossile apud nos frequens, nu-

per adhuc ingens frustum repertum: Dentem Elephanti refert quantum juxta proboscidem prominet, ad brachii longitudinem. Sunt mihi Cornua Cervina, ut primis annis absque ramis enascuntur, quæ magnus ille Crato Tecum dubio Unicornu præfert. Quòd si forsan apud vos rara sunt, lubentissimè proximâ occasione transmittam; sunt enim pulcherrima, & quâvis sicâ acutiora. Saluta Buschum nostrum. Salve & vale cum omnibus Charissimis. Vale iterum atque iterum Christo nostro commendatus. Heidelbergæ d. 26. Febr. styli vet. 1659.

JOH. WALCHIUS,

Decadis Fabularum impressæ Argentorati apud Zetznerum, Anno 1609. pag. 280.

Cum ante annos plus minus 25. Studgardiâ cedens Wiennam Austriæ, & hinc in Moraviam concessissem,

ſem, quorundam quæ tum me ſolicitum tenebant negotiorum cauſâ: bidui itinere ab Urbe diſtantem in Moraria vicum attigi, nomine Bauſorum, in quo, cùm à viris quibuſdam bonis hoſpitio exceptus ac humaniter tractatus, vix biduo hæſiſſem, narratur mihi cùm ab his ipſis, tum ab aliis quibuſdam fide dignis, præcedente ejuſdem anni Vere (acceſſeram a. ego in Septembre) in vicinia ac territorio ſuo, in vineto quodam repertum eſſe Monocerotem, à privatis quibuſdam, ac duobus vinitoribus ſociis, qui ligonibus fundum verſuri, non belluæ Cornu tantùm, ſed & totum animantis σκέλετον, & ſingula, quibus dum in vivis eſſe dabatur, certa corporis proportione, fera illa bellua ſuſtinebatur, ac robore prævalebat, atque integra oſſa (quorum nullum vel corruptum, vel carie aut putredine totaliter conſumtum fuerit) ex terrâ exuerent, utpote Calvariam, hujuſque Syncipiti affixum

affixum Cornu, & mandibulas, mandubulisque insertos singulos Dentes, spinam Dorsi, cum annexis costis, & tibias & fistulas cunctas, & in summa, omnia & singula artuum ossa, quibus tantam olim belluam conspici, & vitales ab illa actiones perfici contigerit. Horum ego ulteriori & magis specificæ narrationi intentus, quî res habuisset, maximo cognoscendi desiderio tenebar.

Elocaverat quidam illius loci civis vinetum quoddam duobus Juvenibus, certâ mercede, annuo labore, & requisitis operis colendum. Hi culturæ illius initium facturi, hoc sibi primum laboris sumunt, ut in vineæ vertice ac montis cacumine cuniculos agant, ac cryptam fodiant, quâ & lagenam suam abdant, illicque haustum gelidi vini, quo subsequentis æstatis tempore ab improbis ac continuis laboribus deficiente spiritu, se recreent, atque à solis ardore tutentur, aut etiam instrumenta

menta sua fossilia reponant. Vidi ipse ibidem loci terram adeò compactam, & firmiter sibi hærentem, ut plerique qui in illa provincia ad montium radices habitant, quàm longissimo tractu in montana cuniculos agant, quibus & cellæ vinariæ & promtuarii aut etiam granarii vice tutò utuntur, nullis licet laquearium fulcris suffultos. Hi igitur vinitores socii cum jam fodiendo mutuis operis satis justo spatio progressi essent, atque ad montis ima pertigissent, cavam, post angiportum, foveam formaturi, hem! ex improviso in grande quoddam atque ingens & Cornu, sed & alia passim in crypta illa, prodigiosæ magnitudinis ossa ligonibus suis impingunt, & quid hoc rei sit, rationem satis capere nequeunt, qui, quo magis fodiunt, hoc plus mirantur. Posteaquam ergo jam biduum nulla cum cautela, sed maximâ imprudentiâ, hunc tantum thesaurum tractassent, animantis ossa exse-

cant, ſummâ vi eruunt, ligonibus contundunt, & quibuſcunque poſſunt rationibus è foveâ producunt: bonâ oſſium parte projectâ, tandem etiam ingentis ponderis ac magnitudinis rectiſſimum atque in acutum deſinens cornu, ingentem atque adamantinam ſpinam, animantis fronti quæ affixa erat, magno conamine egerunt ac producunt. Et quia tanto judicio ac diſcretione, hanc ut rem cognoſcerent, inſulſi præditi non erant, aut vix unquam antehac de Monocerote quicquam auditum ulli erat, negotium cum ſociis communicant, qui hac de re imperitorum atque agreſtium hominum more inter ſe diſputant, atque concertationibus tam diu ſtultè inhærent, alio Unicornu aſſeverante, alio negante, donec ancipiti hac ac parùm ſalſâ quæſtione indiſcuſſâ eò res inter Ruſticos redacta eſt, ut in rei certificationem, & ut omnem animis ſuis eximerent ſcrupulum, præſtantiſſimum hoc, & vix ullo pretio re-

tio redimendum Cornu, imperitissimi & ignavissimi homines, quod adeò solidum firmum & compactum (ut mihi ipsi illi referebant) ut nullo alio nec modo nec medio findi aut rumpi potuerint, tandem vægrandem atque Adamantinam acum seu spinam hanc securi (heû mihi!) maximâ vi ruperint ac perfregerint, non secus ac si ligna fissuri in trunci durissimum atque in se reductum nodum cùm incidunt, cuneis adhibitis, atque iteratis ictibus, tetrici rustici, maximo conamine, reluctantem tam diu Caudicis duritiem quatiunt, & contumacem super incude, flagellant, hiulcatandem in partes donec abeat, ac frusta disjiciatur. Non secus hi, quibuscunque potuerint modis ac rationibus vix tandem adamantinum hoc Cornu ac durissimum os ingenti nisu & vix tandem se perfregisse mihi confirmabant, saltem in hunc finem, ut hîc unus quidem; alio alter item loco peritiores quæreret, atque

 crebris

crebris adhibitis experimentis expiscaretur, Unicornu utrùm hoc esset, nec ne. Audierant namque pretiosum illud esse: arbitrabantur autem de integro periculum fieri non posse: ergo rumpendum esse. Veris hæc tempore in Martio acciderant. Sequenti Septembre cùm peregrinus hospes vicum illum ingressus, vix biduo illic moratum ex illis quidam Juvenibus ac vinitoribus conveniunt, & me ut literatum, ac qui in scriptura (ita loquebantur) versatus essem, compellant, ac meam sententiam rogant, judiciumque hac de re efflagitant, an scil. ingens spina illa (quam dudum ruperant ac disperdiderant, cujus nunquam reparanda frusta nunc in peregrinas ac illorum haud dubiè manus pervenerant, qui & magis nasuti, & tantam majori prudentiâ rem tractaturi erant) tantis ubique laudibus celebratum ac virtutibus prædicatum Monocerotis cornu esset, nec ne? Sed audi: quibus circumstantiis ac signis illi, uno

ore &

ore & ultro professi sint, ac non unâ vice, sed pluries, distinctis temporibus, mihi & roganti, & solicitè inquirenti, constanter ac bonâ fide semper deposuerint, quænam prægrandis illius belluæ & membrorum constitutio & proportio ac vastitas fuerit. Quæ causa sola est, cur hîc hujus rei narrationem susceperim,& Lectori inter nova reperta, & prioribus proximis seculis (quod non absque ratione affirmo) ignorata, & cognoscenda & considerandaproponam.

Cornu, quod belluæ fronti affixum erat, rectissimum fuit ac solidissimum, duritie adamantinum, gravitatis rari ac singularis, aliquantum tortum, nequaquam curvum, ut se vel in hanc vel in alteram magis partem inclinaret, sed in gyrum leviter quodammodò flexum, ac si lævâ parte superiore illuc, inferiore huc sensim dexterâ cereum torqueres, ut gyri illius rotatio vix sentiretur, rectissimè tamen subjecti

linea constante: hoc est, circa spinam, quæ non lentè, sed maximo passu procurrat, spiram duceres. A crassiori forma sensim in acutum desinens: imâ sui basi (ostentum) septuncem diametur continuit, qui pediis medium digito uno superat, ut cordâmaximâ seu dimetiente prope ad licham accederet. Hujus diametri circulum ac basis circumferentiam Tu hinc æstima, Cornu ipsiusque crassitiem pondera ac ratiocinare. In longitudinem non inquisivi, atque in hoc malè mefecisse, ac dormivisse, ajo.

Audi amplius. Ore hiante ac patulo in terrę visceribus referebant atque crypta illa jacuisse, instar Bucephali aut vægrandis alicujus Equi, cujus vastitatem atque amplitudinem menstrosam nec satis mirari nec satis prędicare poterant. At quia alio modo hujus formam pro dignitate se satis describere non posse arbitrabantur, satis crassâ utebantur demonstratione: nam extensis coram me,

me, quanto hiatu poterant, duobus in angulum acutum, ad rectum fere conformatis, conformabant atque effingebant brachiis, ad hujus figuram nimirum belluæ os patuisse, dentibus maximis & solidissimis circum quaque tam superiori quàm inferiori oris parte continuo ordine consertum, patentissimnm atque horrendum. Ac cùm ex immani dentium specie ipsi illi stuperent, dentium maxium trutinâ examinaverunt, trilibris hic pondo repertus est: hinc Tu miraculosam belluæ iterum vastitatem ac robur conjice, ipsiusque animantis debitâ proportione correspondentis cornu præstantiam, ac insolitum divina pondus. Hunc dentem, quem maximum crediderunt, rustica illa turba non ita multò post, in rei memoriam atque ostentum Curiæ suæ, quam nuper ædificaverant, columnæ anteriori, cui magna domus pars incumbebat, laminâ ferreâ cinctum, catenâ appenderunt, pu-
blicè

blicè ut prodigii signum prostaret: qui Dens tamen à quodam, qui plus satis habuisse credendus est, noctu & surreptus & ablatus est. Moraviensis porrò libra, (ne sis nescens: hanc namque rem penitus discutere atque exactè describere gestio) quasi illic locorum lanei, & omnes in universum, in domesticis & civilibus translactionibus uti homines solent, quæ sedecim vulgo uncias continet, nostram, cujus & in agro Wirtenbergiaco & apud Argentinenses usus est, paulò pondere superat ac præcellit: quam vulgo novimus non Asse, hoc est, duodecim (qualis Romana fuit, & hodie Medici ac Pharmacopœi utuntur) sed sedecim unciis, hoc est, triginta duobus lotonibus constare, quæ libra Mercatoria dicitur. Hęc admonuisse me necessarium duxi, cùm ut rei veritas constaret, tum hæc tibi magis prodigiosa existerent.

His cùm maximè me commoveri viderent, tantæ rei actores, ex mino-

ribus

ribus dentem quendam alium obtulerunt contemplandum, quem etiam facilè vel ex dono impetravissem, si rogassem, vili profectò vel pretio ab ipsis redimere potuissem: sed cùm illum Monocerotis dentem in manu tenerem, atque unius libræ pondus arguerem, aut etiam pluris pendere, abstinui: cùm pediti mihi centum integra Milliaria Germanica in Patriam per Bohemiam revertenti, emetienda esse, ipse mecum perpenderem. Cujus res pœnitudinem tamen non semel hactenus animum meum subiisse credito.

Continebat hic Dens altitudinem (quantum oculorum quidem conjecturâ assequi dabatur) latos digitos circiter quinque, crassitudine tres, quadrangularis quodammodò, ut tamen aliquo modo ad circularem accederet, ut aliàs molares sunt in equo, superiore parte nequaquam acutus, sed obtusus ac latus. Quamvis ex proportione cum superiori (qui ut percepisti trium librarum pondo

pondo erat) molarem fuisse vix credam, sed intermedium forsan aliquem. Eja, à capite ad pedes descendamus.

Tibiarum præstantiam ac fistularem magnitudinem ita mirati sunt, ut nihil supra: in quas, quoties vellent, contortum pugnum absque remora aut molestia se ingerere potuisse, constanter & crebrò affirmabant. Quarum fistularum capacitatis & ego tum nullam prorsus rationem capere poteram. Quæ unica res quoque me de animo dejecit, & magnum incommodum attulit, ac obstitit quò minùs precio hinc inde ipsius cornu fragmenta redemerim, quod haud dubiè potuissem perexiguo. Occurrebant nempe & subinde in mentem veniebant, non tam pictorum opera, qui Monocerotem gracilibus ac velocissimis pedibus nobis hactenus adumbrarunt, atque ob oculos posuerunt, in modum aëripedum Cervorum comparatis; sed idem planè quod plerique quoque testarentur Historici,

ſtorici, atque animantis hujus formam, quam nec viderunt nec noverunt falsò posteris deſcriptam reliquiſſent. Atque in hoc ego unicè tum hærebam, falsâ hac gracilitatis perſuaſione imbutus, quæ unica quoque cauſa fuit, quò minus ulteriorem inquiſitionem, & rei tam raræ ac præſtantis indagandæ tum temporis ſtudium ac illam diligentiam adhibuerim, qualis mihi quidem tum incumbere merito debuiſſet. Verùm poſteaquam à me domum perventum, & res hæc mihi curæ eſſe inciperet, quòd poſteriores cogitationes priores correxiſſent, Hiſtoricos quoſcunque tum coacervare poteram, conſului: ex pluribus unum vetacem Plinium reperi, cujus huc deſcriptio quadraret, & quod ocularis deſcriptio teſtabatur, & res erat ipſa, hoc idem & ille doceret, qui confirmat Monocerotem pedes habere in modum Elephanti, ut videre eſt l. 8. nat. hiſt. c. 21. Hactenus ille.

Plura adhuc addit, quæ ad hanc rem faciant, sed ea tamen præcipua sunt, quæ hîc descripsimus. Quod si forsan Walchii Decas Fabularum & hæc quoque historia nota, meam tamen diligentiam Tibique gratificandi studium optimè consules.

Extractum. Lit. D. Theodori Conerdingii, dat. Hanoveræ, 22. Nov. 1958.

CÆterùm de ossibus in specu Bumanni repertis mentionem fecit D. Landas. At verò iste specûs trans Hercyniam sylvam in Comitatu Rinstenensi non procul ab arce Blanckenberg situs est, & nobis aliquanto remotior: Celebris tamen est ob magnitudinem & varios cuniculos, qui ad quatuor miliaria subtus terram in solido saxo se extendunt, & quòd mirabile est, unicum saltem angustum est antrum huic specui, per quod si quis se profundè dimiserit, longissimè & latissimè sese diducit. Fundus valde uliginosus, &

guttæ

guttæ decidentes in lapidem album & ſubdurum concreſcerunt. Ex terrâ eruuntur variorum animalium oſſicula, carie ut plurimùm conſumta. Horum nihil mihi ad manus, cùm longiùs ab illo loco abſim. Aſt cis Hercynios montes, non procul à limitibus Ducatus Grupenhagenſis, prope arcem Schanzfelt alius adhuc eſt ſpecus, ubi itidem per unum acceſſum anguſtum profundus eſt deſcenſus in locum ſpatioſum, & multis magnis cavernis deſtinctum: in hoc ſpecu ex terrâ limoſâ ac valde humida talia eruuntur oſſa, qualia tibi hîc mitto; quæ quidem manifeſtè apparent eſſe animalium, ſed tantæ tamen interdum magnitudinis inveniuntur, ut dubitare quis poſſet, an verè ſint ex animalibus. Saxeam, ut apparet, hæc oſſa induerunt naturam, ut non dubitem, ſuccum lapideſcentem iſtic deliteſcere. Difficile autem dictu, quomodo iſta oſſa in illam ſpeluncam devenerint: neque enim feræ vel alia ani-

malia istic delitescunt, quæ in illa emoriantur: nihil tale unquam observatum ab accolis, à quibus hodie creberrimè pervestigatur horum ossiculorum gratiâ, quorum pulvere ad sudores movendos, arcendos paroxismos febriles, abigendam Epilepsiam, &c. non infelici adeò successu utuntur, sed de his omnibus aliàs plura.

Antonio Deusingio,

J. CASP. FAUSIUS, S.

Nobilissime & Excellentissime Vir, &c.

Gratum mihi est, meas Tibi redditas fuisse; Gratius quod eas responso dignatus fueris; Gratissimum quod Te & vivere & valere, & strenuè, ut semper, agere, ex iis intellexerim. Joh. Walchii Decadem Fabularum si haberes, esset in qua Te recreares, & animum severioribus studiis defatigatum relaxares. Nec ad fabularum

bularum mentionem omnia ipsius pro fabulosis habenda. Decem selectiores Æsopi fabulas eleganti & luxurioso stylo recenset: easdem postea historicè, ethicè, politicè, physicè, &c. explanans, varia atque egregia mirè intercalando admiscens. Ibi inter rariora inventa de illis quoque, quæ Tibi nuper. Cæterùm de Ossibus in Bumanni specu juxta Herciniam repertis variant opiniones. Increscere ossa secundùm omnes dimensiones, (loquor de sub terra latentibus) mortuis vix competit particulis. Generari aliquo lusu naturæ (ut alibi Chirothecæ, Tesseræ lusoriæ, variæ imagines, &c.) vero haud adeò dissimile videtur. Felix Platerus, magni istius Felicis magnus quoque Nepos, credit hæc tempore diluvii Universalis in ejusmodi abdita loca fuisse recondita, & saxis limoque sepulta, quia absque dubio in illa aquarum inundatione omnia susque deque fuerunt commota & transposita.

Ego temporis omnium rerum edacis diuturnitatem, & tot ſeculorum lapſum ipſi oppoſui, & ad experientiam provocavi, quâ edocti cernimus, oſſa in ſepulchretis exiguo annorum ſpatio corrumpi & in terram reverti. Cæterum oſſa illa diaphoretica eſſe præter experientiam & ratio convincit, cùm à ſpiritu terræ calcinentur, ſale terræ volatili, quo ſpiritus turget, ibi fixato. Anſelmus Boetius de Unicornu vel Ebore foſſili tradit, eſſe non niſi ramos arborum ſic calcinatos, majore vel minore vi diaphoreticâ pollentes, prout ligna (exempli gr. fraxinus) eâdem magis vel minus dotata fuerunt. Repertum tamen anno elapſo apud nos in præterfluente tale Unicornu, Cornu vel Dentem Elephanti exactiſſimè retulit, ut nemo ſanus de eo dubitare potuerit; Corticem ſubflavum duriorem, Medullam friabilem ſed candidiſſimam hubuit. &c.

Anto-

Antonio Deusingio,

Nobilissime atque Excellentissime Vir, Domine & Amice Colendissime.

. . . . . De vero Monocerote & hyperbolicis ipsius laudibus ipsemet dubito. Nec tamen ossibus & cornibus suæ desunt vires, præsertim calcinatis, & ex iis, quæ tractu temporis à sale volatili seu spiritu terræ (spiritus enim ubi corporefit, ut ita loquar, fit sal) calcinantur, & spiritus ipse vicissim in iis capitur, retinetur, figitur. Tale est illud cujus frusta transmitto ante annum in præterfluente, ut sæpius fit, reperto. Aquis enim littora lambentibus plerumque instar stipitis emergunt. Nostrates vocant Unicornu fossile, non est a.nisiEbur,Dentem enim seu Cornu Elephantinum hoc integrum perfectè referebat, quod postea rudes homines lucri causâ inter se dividentes, in frusta serratim conciderunt. Ejus usus frequens in variolis & morbillis, non

sine successu, testantibus id præter Experientiam, plurimis iisque præstantissimis Medicis. Spodii loco convenientissimè uti possumus. Ebullitionem & sanguinis effervescentiam compescere, seu, ut Chymicè loquar, præcipitare potest, & ut creta cerevisiam acidam, aut secundùm Helmontium, oculi cancri, &c. corrigere. Duo frusta semicalcinata ex eodem sunt stipite: tertium perfectè calcinatum pars est alterius, ante sexennium in eodem loco reperti. Apparebit adhuc quàm frequenter raserim, in proprios & alios usus. Idem de Lapide Bezaar sentio. Quid tria grana efficerent in valido corpore, & veneno forti? Non omnis vis contra venena ipsi deneganda. Peste laborans monili ex maculis nigris satis latis totum collum ambientibus fui ornatus. Sumsi per biduum mane 20. grana Lapidis Bezoar singulis vicibus cum syr. & succo citri & aqua acetosæ, & maculæ nescio quorsum abierunt. Abusus tollendus.

lendus. Multi enim pereunt soli huic lapidi salutem suam credentes. Quin & corpori impuro vulgus empiricorum obtrudit. Vidi sæpius puerulos in paroxysmos Epilepticos præcipitatos, cùm ex ventris dolore ejulantibus hic lapis ineptissimè fuisset oblatus. Est tamen obstetricum panacea. Et tamen ejusmodi Medicastros Mundus amat, tanquam ad genium & ingenium suum frabrefactos. Deus nobis meliora. Cui te tuosque animitus corditus. Salveat & Buschius noster non admodùm scribax: liceat aliquid joci adspergere. Vale iterum Vir Clarissime, atque ut hactenus, amare perge

Virtutis tuæ admiratorem, Præconem.

Heidelb. 5. Sept.
styl. vet. 1659.

J. C. Fausium,
M. D.

DE LAPIDE BEZAAR.

INter nobiliora ac pretiosiora Medicamenta mirificè nostro imprimis sæculo extollitur *Lapis* vulgò *Bezaar* vel *Bezoar* dictus: Qui primùm celebratus, atque maximè contra Venena commendatus, à Rhase libr. 8. ad Almansorem, cap. 11. 14. 15. & libr. 1. Division. c. 141. hinc nominatus item ac laudatus ab Ibn Sina (qui vulgo Avicenna dicitur,) libr. 4. Can. fen 6. tract. 1. sum. 2. cap. 1. & ibid. tract. 2. cap. 12. nec non à Serapione de simpl. med. cap. 396. Reverà autem Græcis (ut notatum à Montuo, Monarde, Sylvatico,) nec non itidem Latinis priscis, (ut observatum ab iisdem, item-

que

que à Panciroll. libr. 2. Recens Invent. tit. 3.) nunquam cognitus: Ac præcedentibus aliquot sæculis, post Arabum tempora, planè oblivioni traditus.

2. Postea quam verò Febres illæ malignæ, quæ Petechiales ab Italis, & ab aliis pestilentes appellatæ, à quibusdam novæ judicatæ, grassari cæpêre, Lapidis Bezoar memoria, (Medicis quibusdam summoperè ipsum commendantibus,) revixit; ita ut de eo comparando homines solliciti esse cœperint: Et, ut rectè Sylvaticus aït, Reges sanè ipsi, Principes, & potentiores, facilè sibi persuaderi passi sint, ut nullis sumptibus parcentes hunc conquirerent, cùm ipsis non solùm insueta, peregrina, & promissis egregiis plena, multoque auro redimenda, proponerentur; imò & populus, Medicorum pollicitationibus persuasus, neminem ab ejus generis Febre Petechiali sine tali medicamento liberari posse, & ipse cœpit hunc avidè

expetere, & quovis pretio redimere: Hinc factum, ut etiamnum hodie Lapis hic apud Principes & Magnates tanti nominis sit, ut eum non solùm inter sua Ceimelia reponant; verùm etiam in Gemmarum numero, & quidem earum, quæ auro æquiparantur, & etiam illo pretiosiores existimantur, habeant: *ita ut hunc Medici, nonnulli quidem inviti, in illorum gratiam, in usum revocare cogantur*: ut loquitur Casp. Bauhin. de Lapid. Bezaar, in Præfat. De hoc Lapide paucis impræsentiarum disserere aggredimur.

3. Nomen hujusce Lapidis variè passim apud Autores exprimitur, (prout Barbari Arabum Interpretes variè genuinum vocabulum corruperunt,) ut videre licet apud Boëtium de Boot, Histor. Gem. & Lap. libr. 2. cap. 191. Casp. Bauh. loc. cit. aliosque. Communissimè exprimitur *Bezoar* vel *Bezaar*. Genuina appellatio est (ut ex Lexicographo Persa constat,) *Bâd-Zeher*,

zeher, vel *Bâd-zahar*, & *Bâ-zahar*, vel *Pâ-zahar*; (Persis enim lit. B. & P. frequenter, in initio dictionum imprimis, commutantur;) & addito Articulo Præpositivo Arabum *Al*, *Albazahar*; itemque *Hagjer* (id est Lapis) *Albazahar*; unde Clusius putat Arabibus dici *Hager*; (quod equidem hisce non nisi *Lapidem* in genere denotat:) Indis verò contractè vocatur *Bezar*, teste eodem. Hoc interim notandum, apud Avicennam passim in voce *Pâdzahar* seu *Al-pâdzahar*, pro litera P. Persarum, (quâ Arabes carent,) occurrere in textu Arabico literam *Phe*, *Ph.* ac porrò literam D, quæ præcedit literam Z, blæsam esse, ut ea adeò subsequente Z quasi elidatur, vel D & Z pronuncientur quasi duplex Z.

4. Est autem vocabulum *Bâd-zahar* reverà Persicum: quod & notatum à Serapione. Persis namque *Zahar* vel *Zeher*, venenum denotat; *Bâ* verò vel *Bâd*, seu *Pâ*, vel *Pâd*, in compositione

O 6 adver-

adversitatem seu repugnantiam consignificat; ut *Re* Latinorum, vel ἀντὶ Græcorum, ut adeò *Bâ-zahar* propriè denotet *Antidotum*, seu *Antipharmacum*, *Tegen-gift*, seu *Remedium adversus venena*. Atque ita dicit Serapio, de Simpl. Med. cap. 396. Expositio ejus est *contra venenum*. Ac putem omnino, ab illa vocula Persarum *Bâd*, Belgicum nostrum Baad / *Remedium*, *Auxilium*, originem habere; nisi potiùs ab hoc illa: Magna quippe Linguæ Persicæ cum Germanica affinitas est, tum in plurimis vocabulis, tum in Phrasiologia, tum in ipsa vocum inflectione; quod illi Linguæ inter Orientiles omnes peculiare est. De qua re pluribus differere hujus loci non est.

5. Errant igitur, quicunque hunc Lapidem dictum existimant, à Persico *Bazar*, vel *Pazar*, quod *forum* seu *mercatum* significat: rectèque Jac. Bontius in Med. Indorum, Animad. ad cap. 45. Garciæ ab Horto, Nemo, inquit,

inquit, ipsum unquam in foro venalem vidit. Nec minùs hallucinantur, qui *Belzaar* legendum putant: quasi compositum ex Hebræo *Bel*, quod *Dominum* significet, & *Zaar*, quod venenum: Et quæ sunt id genus conjecturæ aliæ.

6. Maximus autem error est (cui Barbaræ versiones Arabum occasionem præbuêre,) vocabulo *Bezaar*, vel *Bezard*, vel *Bezaard*, designari quoque *Galbanum*, *propter virtutem ejus excellentem contra venena*, ut Bauhin. de Lap. Bez. cap. 1. tradit. Occurrit quidem in versione Avicennæ libr. 4. Sum. 1. tract. 1. in prima descriptione Theriacæ, *Bezard*, ubi Andromachus & Galenus *Galbanum* requirunt; pro quo in Pandectis Medicinæ Sylvatici cap. 98. occurrit *Bazaard* & *Bezadazad*, itemque *Berzarad*, & *Berz.* velut item in Andr. Bellunensis Arabicorum nominum Interpretatione *Bezard*, & *Bazard*, *Galbanum* vertitur; Verùm,

per Linguæ ignorantiam, & vocabulorum corruptionem, id accidit: Textus enim Avicennæ Arabicus habet *Bârzed*, quod non minùs distat à præsenti nostro *Bâd-zahar*, quàm mus à sue:

7. Est autem *Bârzed* vocabulum item Persicum, idem significans quod Arabibus *Kannaton* seu *Kanna* (vel *Kenne*, ut apud Sylvaticum pronuntiatur,) teste Lexicographo Persa, nec non Ibn Beitare, optimo inter Arabes Medicamentorum simplicium scriptore: *Kannaton* verò vel *Kanna* Arabibus *Galbanum* denotat, ut exponit Ibn Beitar, ad textum Diosc. lib. 3. cap. 97. idemque occurrit in Cantico Avicen. lib. 2. §. 157. Occurrit tamen passim *Kanna* seu *Alkanna*, pro ipsa illa Ferulæ specie, cujus liquor *Galbanum* vocatur Dioscoridi cit. loc. Ita nempe Ibn Beitar ad cap. 18. libr. 1. Diosc. dicit, liquorem illum qui *μετώπιον* dicitur, esse liquorem *Alkanna*; ve-

na: velut item Diosc. libr. 3. cap. 97. *Galbanum* nonnullis μετώπιον vocari asserit. Sed hæc obiter.

8. Accipitur autem *Bâdzahar* seu *Bazahar* vel generaliori significatu, ut denotet *Antidotum* seu *Alexipharmacum* quodvis; vel propriè, pro *Lapide Bezaar* vulgò dicto: ut liquet apud Serapionem de Medic. Simpl. cap. 396. Atque ita in Lexico Persico ad vocem *Bâdzahar* Paraphrastes Turca, *duo habere significata*, inquit, *unum in genere, pro omni Alexiterio, quod venenum pellit, & spirituum facultatem retinet; alterum pro peculiari Lapide Bezaar dicto.*

9. Generaliori significatu, seu pro omni *Antidoto* occurrit apud Avic. Can. libr. 2. tract. 1. cap. 4. ubi *Al-pâdzahar* (Interpres verit *Antidotum*,) & *Theriaca* dicuntur *omnes Medicinæ, quarum proprietas est, ut conservent virtutem Spiritus ac sanitatem ejus, ad expellendam veneni noxam à se.* Similiter apud Ibn Ruschd, (qui vulgo Averroës dicitur,) Collig.

Collig. libr. 5. cap. 23. *Bezaar* & *Medicinæ Bezaardicæ* dicuntur *quæ curant à venenis*. Itemque apud Avicennam libr. 4. Can. fen. 6. tract. 1. summ. 2. cap. 1. radices Capparis dicuntur *Bazahar* Napelli; & omnia *Al-pazahar* dicuntur esse bona ei. Atque ita passim apud Medicos etiamnum obtinet, ut *Bezaardica* vocentur quælibet *Alexipharmaca* & *Antidota*.

10. Propriè verò pro *Lapide* vulgato, de quo nos impræsentiarum, accipi solet: ita apud Avic. cit. loc. cura principalis contra Napellum dicitur esse *Al-pâdzahar*, *& medicamen ex muscho*, &c. similiter ibidem tract. 2. cap. 12. contra fel viperæ valere dicitur *Theriaca*, *Mithridatium*, diciturque *Al-pâdzahar* eximia ei esse medicina.

11. Putant aliqui, inquit Sylvaticus Pandect. cap. 399. ex Serapione, (quamvis in Serapione hæc non inveniam,) hunc lapidem esse qui generatur in oculis Cervorum in Oriente, qui

te, qui cùm serpentes comedunt, ut deponentes senium fortiores fiant, intrant flumen, ibique morantur immersi usque ad caput, tamdiu quòusque sentiunt veneni virtutem superatam: Interea lachrymam emittunt, quæ coagulata in oculos interdum usque ae magnitudinem nucis deficcatur, donec cadit cùm flumen exierint, & sic invenitur. Eadem ferè, occurrunt in Glossa apud Abenzoar. l. 1. Theisir tract. 13. cap. 6. additurque, *Hoc Bezeard esse perfectius & utilius cæteris Bezeard.*

12. De hoc *Lapide Cervino*, seu in oculis Cervorum invento, vel inde deciduo, pluribus agit Casp. Bauhin. de Lap. Bez. cap. 7. & seqq. Ac videri potest de eo Matthiol. Comment. in Diosc. libr. 5. cap. 73. Scal. Exer. 112. Lang. Epist. libr. 2. Epist. 24. Rectè verò Anselm. Boot. de Lap. & Gemm. libr. 2. cap. 192. *Ridiculè quosdam Lapidem Bezoar Cervi lachrymam induratam putâsse*, ait. Amatus Lusit. Comm. in Diosc.

Diosc. libr. 1. Enarrat. 39. hunc quidem Lapidem Cervinum tuetur; putatque illud desiderium, quo ad aquas feruntur Cervi, post comestos serpentes, indigitari à Regio Propheta Davide in Psalmo (42.) cùm dicit: sicut Cervus desiderat ad fontes aquarum, ita anima mea desiderat ad te Domine. Verùm subjungit: *Hodie Lusitani nostri, qui ex India multa referunt, quæ hucusque de isto tradidimus Lapide, fabulosa esse testantur, quum illum potiùs è stomacho vel cujusdam animalis corde extrahi, pro firmo contendant: quod ita esse certum est,* inquit, *quum Lachryma Cervi lapillus alter sit, coloris mellei, latus, in pyramidem tendens, à paucis hucusque visus; quem nos, dum hæc scribimus, ob oculos habemus, & Belzabarticus dictus, ad ea valens, ad quæ lapillus ex corde vel stomacho animalis extractus.*

13. Certè ex Arabum Scriptis parum certi quoad descriptionem veri Lapidis Bezoar eruere possumus. Rhases qui-

ses quidem, Avicenna, Averroës, utut quandoque illius meminerint, ejusque usum contra venena commendarint, exactam tamen ejus descriptionem nullibi tradiderunt: Certè ubi ex professo de simplicibus medicamentis agit Avicen. libr. 2. Can. Lapidem hunc inter alia nequaquam describit, cùm tamen ipse natione Persa sit, in cujus Patria potissimum inveniri hic Lapis refertur, (ut inferiùs dicemus;) similiter nec Mesues. Abinzoaris Glossarius *Lachrymam Cervi* pro *Lapide Bezoar* substituit, ut diximus. Serapio de simpl. med. cit. loc. inter mineralia, seu ex ea quæ ex Terræ visceribus eruuntur, de ipso agit: dicitque, *mineram ejus esse in terris Syriæ & Indiæ, & in terris Orientis.*

14. Rabbi Moyses Maimonides libr. de Venen. tract. 1. capit. 3. meminit quidem alicujus *Lapidis Bezaar mineralis Ægyptiaci*; verùm nullum esse ejus usum in morsibus scorpionum, aït. *Verum*

rum Bezaar minerale, inquit, *est Lapis in regione Ægypti, in rupibus ejus repertus, plurium & diversorum colorum, de quo Priores in libris suis asserunt multa mira*, (hunc ergo credidit eundem esse quem commendârunt Arabes,) *nihil tamen ex eis est per experientiam approbatum. Ego autem pluries*, inquit, *expertus sum, omnes species Lapidum, in mineris & saxis apud nos repertorum, in morsibus scorpionum, & nihil penitus profecerunt.* Similiter Monard. de Lap. Bezaar, *metallicam* illum Lapidem, ut vocat, rejicit: *Nam periculum feci*, inquit, *& nullam utilitatem afferre deprehendi.*

15. Garcias ab Horto (qui ipse fuit Proregis Indiæ Medicus,) Histor. Arom. & simpl. Medic. apud Indos nascentium libr. 1. cap. 45. In Corasane & Persia *Hirci quoddam genus* esse aït, quod *Pasan* linguâ Persicâ vocant, in cujus ventriculo hic Lapis generetur: Perperam autem Boot cit. loc. itemque Baccius, putant cum aliis nonnullis

Recen-

Recentioribus, à voce illa *Pasan* (quod quidem *Hircum* significat, sed & convitii vox est, quasi *Cornutum* dicas, sc. qui mœchum habet, Turcæ *Kidí* vocant,) nomen accepisse Lapidem *Bazar*, quem diximus potiùs appellari *Bazahar* vel *Bâdzahar*. Illud *Hirci genus* rufum aut alterius coloris esse, mediocris altitudinis, refert idem Garcias, & se quidem Goæ rufum ac prægrandem vidisse.

16. Clusius in Notis ad Garciam, eximi hunc Lapidem, inquit, ex animali, Cervi fere magnitudine & agilitate, sed cornibus in dorsum reflexis, & corporis formâ *Capris* ferè simili; eamque ob causam ab Incolis *Capram montanam* vocari; tametsi Clusii judicio potiùs *Cervi-Capra* dici debebat: pilo esse brevi, & colore ut plurimùm cinereo & rufo. Christoph. à Costa in Arom. & Med. in Orientali India nascentium libro, Generari hunc Lapidem, aït in ventriculis animalium, hirco ferè similium, arietis prægrandis ma-

dis magnitudine, colore rufo, uti Cervi propemodùm, agilis & acutissimi auditus, à Persis *Pasan* appellato.

17. Bontius Animad. ad Garciam, *Capræ* istæ, inquit, non absimiles valde sunt capris Europæis, nisi quòd habeant erecta & longiora cornua; ac quædam ex iis versicolore sunt pelle, ut Tigrides, pulchro aspectu, quales duas hîc in arce Batavia nostra quotidie videmus: Additque, vidi & *Lapides Pazahar* natos in ventriculis Simiorum, qui teretes sunt, & longitudinem digiti aliquando excedunt, qui hîc præstantissimi omnium censentur.

18. Equidem, in plurimorum animalium ventriculis (velut & passim in aliis animalium partibus,) Lapides generari certum est: Habeoque ipsemet etiamnum *Lapidem*, seu *pilam* potiùs in ventriculo vaccæ hîc Groningæ inventam, ovum anserinum magnitudine adæquantem, intus quasi pilis refertam, quos cortex ipse lapideus involvit

volvit. De ejusmodi pila in ventriculis Vitulorum vel Boum inventa, vid. Casp. Bauh. de Lap. Bezaar cap. 12.

19. Non solùm autem in Persia generari hunc Lapidem testatur Garcias ab Horto; sed etiam nonnullis Malaccæ in locis, & in Insula, quæ à Vaccis nomen sumpsit, haud procul à Promontorio Comorim. Verùm, inquit, nulli Persicis bonitate comparari possunt. Clusius reperiri aït prædictum animal in India supra Gangem, montibus Chinarum regioni finitimis. Similiter à Costa in variis Indiæ Provinciis, uti in Promontorio Comerim, & nonnullis Moluccæ locis, tum etiam in Persia & Corasane, Insulisque quas à vacca cognomen adeptæ sunt, inveniri aït: Similiter, inquit, in Occidentali India, referente Petro de Osma in Epistola quam ad D. Monardis conscripsit.

20. Cùm verò sint alii *Lapides Bezaares Orientales*, alii *Occidentales*; præferuntur

feruntur tamen *Orientales*: velut omnibus *Persici* antecellunt, docente eodem A Costa. Quamvis, si fides habenda Nicolao Monardis, inventi sunt in Peru *Lapides Bezaares*, Orientalibus haud inferiores viribus. Quod attinet formam animalis, ea describitur in prædicta Epistola, quod sit simile iis Hircis, quos in Orientali India reperiri dictum, nisi quod cornibus orbum sit, Rufi esse coloris magnâ ex parte, admodùm fugax, non verò reperiri per totas Indias Occidentales, sed tantùm in montibus Regni Peruviani.

21. Generantur autem non in ipsa ventriculi cavitate, sed velut in *Marsupio* quodam aut *Receptaculo*, in quod depastas herbas recipiunt illa animalia, donec illas postea ruminantes in ventriculum trajiciunt, ut Vir nobilis in Epist. sua ad Nic. Monard. refert; seu, ut ipse Monardis exponit, sibi deinde significatum à primo illorum inventore, qui suis manibus illorum anatomen

tomen fecit, gignuntur in *Receptaculo* quodam fasciæ modo confecto, & villosâ carne constante, duorum palmorum longitudine, & trium ferè unciarum latitudine, ipsi ventriculo parte interiore adhærente, alii aliis majores, & quodam ordine dispositi, uti nodi vestem anteriore parte claudentes. Veris autem atque Æstatis tempore generari tradit Baccius (de Gem. cap. 25.) accedente verò Autumno atque Hyeme, ubi alia deficiunt pabula, eundem denuò ruminando absumi aït, atque in pabulum converti: Idque inde liquere, quòd Capræ prædictæ in principio Veris vel fine Hyemis Lapide prorsus careant.

22. Incipit autem primùm Lapis circa quandam tenuissimam paleam concrescere, circa eandem semper augescens, & veluti multis è tunicis, (cæparum in modum) contextus; columellæ aut glandis plerumque, interdum aliâ & aliâ formâ, lævis magna ex

parte, colore veluti ex viridi nigricante, ut refert Garcias; additque hunc Lapidem eâ ratione generari, quam modò retulimus, tum his oculis observavi, (Lapidem enim contritum, inquit, hujusmodi tenuem paleam in meditullio continere inveni.) tum à Viris fide dignis accepi, omnes in Persia natos simili modo circum paleolam efformatos inveniri.

23. Clusius verò in Notis ad Garciam, Nullum cor aut matricem habet, inquit, sed in meditullio cavus est, & pulveris ejusdem cum Lapide substantiæ plenus, qui maximè commendatur, atque etiam ipsi Lapidi præfertur. Cæterùm, teste Acosta, videas ejusdem magnitudinis alios aliis leviores, alios aliis solidiores, pluribusque aut paucioribus tunicis praeditos, nonnullos etiam usque ad centrum continuos, aliquos in quorum meditullio pulvis quidam reperitur, alios in quibus aliquid herbæ simile,

plurimos

plurimos in quorum centro paleolam tenuem ſolummodò invenias, circa quam Lapidem efformari quidam putant.

24. Similiter de *Lapide Bezaar Peruano*, ſeu ex *India Occidentali* allato, refert. Nic. Monard. Eos, quos ipſe quidem admodùm excellentes nactus erat, non modò tenuibus ſplendentibus laminis conſtitiſſe, ſed & eodem colore, quo qui ex India Orientali advehuntur, (quod aliàs rarum,) atque aut in pulverem, aut in granulum, inquit, ut illi deſinebant.

25. Lapides hi, teſte Bontio, miſeris Hircis ac Capris tam moleſti ſunt, quàm hominibus Lapides veſicæ ac renum. Itaque hæ Capræ, inquit, prout magnum Lapidem aut parvum gerunt, unumve aut plures, eò moleſtiùs vel citiùs incedunt, quod aſtutiſſimis Armenis ac Perſis perbene notum eſt. Atque hoc ipſum atteſtatur Acoſta, cùm inquit, Aſſerunt in regio-

 nibus,

nibus, in quibus inveniuntur animalia quæ iſtum Lapidem generant, venatores adeò eſſe peritos & exercitatos, ut, quænam animalia majores Lapides contineant, ſolo aſpectu poſſint judicare; ajuntque animalia in quorum ventriculis majores Lapides latent, minùs mobilia, agiliave eſſe, & lenta, ſubtriſtiaque apparere: Interdum etiam extincta animalia inveniri in quorum ventriculis Lapides grandes ſunt.

26. *Materia*, unde Lapis generatur, judice Boët. de Boot. libr. 2. de Lap. & Gemm. cap. 192. eſt herbarum ſuccus viſcoſus & terreſtris; aut ſi mavis dicere terreſtris herbarum ſuccus in humorem reſolutus: quæ, ſi aromaticæ & ſalubres fuerint, Lapides vires augent; ſi inſipidæ ut gramen, Lapidem nullius facultatis proferunt. Atque ita teſtatur Nobilis prædictus in Epiſt. ad Nic. Monard. Animalia illa, in quibus Bezaar generatur, herbas ſalutiferas depaſci, quarum magna eſt co-

eſt copia in montibus ubi ipſa animalia degunt.

27. Jac. Bontius cit. loc. narrat, ſe ab Armenis & Perſis Mercatoribus fide dignis certò accepiſſe, *Herbam* quandam Croco ac Hermodactylis admodùm ſimilem, naſci in campis loci cujuſdam in Perſia, Stabonon dicti, trium dierum itinere ſupra Laram, Civitatem, celebre in Perſia Emporium, in quibus Campis Caprorum Bezaar producentium copia paſcitur, atque in horum ventriculis, ex eſu hujus herbulæ, hos Lapides concreſcere.

28. Quòd autem cauſa materialis hujus Lapidis ſit ejuſmodi herba, comprobat idem Bontius autoriate P. Texeiræ Luſitani, qui tractatu ſuo de rebus geſtis Regum Perſiæ, inquit, inſulam quandam eſſe inter Ceylam ac terram continentem Chormandel, quæ à Luſitanis Iſla de Vacas (Inſula Vaccarum) vocetur, in qua naſcitur copia prædictorum Lapidum, quam ob cauſam

etiam ibidem multæ Capræ paſcuntur: Refertque ex eodem Autore, quòd Anno 1685, cùm hanc Inſulam maxima & horribilis inundatio invaſiſſet, ita ut tota Inſula ſubmergeretur, quæque ſervari poterant Capræ, inde aliò transferrentur, haſce diſiiſſe gignere iſtos Ltpides, quòd prædicta herba ibi non creſceret; elapſis verò paucis annis, cùm Inſula ſalſugine maris liberata, rurſum illam herbam produceret, Capras ejuſmodi denuò eòdem tranſlatas, Lapides hoſce ut antè produxiſſe: Quòd idem inquit à Mercatoribus Belgis & Anglis confirmari.

29. Verùm non modò *Herbam*, ſed etiam Venenum comeſtum, *materiam* quandam huic Lapidi ſuppeditare exiſtimat Monardes.: Opinio eſt, inquiens, quòd ex veneno tam perniſioſo à prædicto animali devorato, & ex illis herbis adeò ſalutiferis depaſtis, Lapis Bezaar generetur: Cui opinioni ſubſcribit Caſp. Bauhin. de Lap. Bez. cap. 20.

cap. 20. ubi, *Lapidis Bezaar materia essentialis* ergo erit, inquit, ex venenis devoratis, & ex herba quadam pòst comesta, postmodùm in animalis ventriculo in Lapidem simul concretis. Quod autem Lapis ille vim aliquam deleteriam contineat, ut solent Alexipharmaca, exinde colligit Cæsalp. 2. metal. 46. quòd experientiâ compertum sit, si Lapis verus sit & sincerus, dentes eorum nigrescere, qui hauserint; ideo cavere cùm devorant, ne Medicamentum dentes attingat, cochleari intra fauces demisso.

30. Ubi ergo vel *veneni* ejusmodi, vel appropriatæ *herbæ*, vel utriusque copia non suppetit, ibidem vel nullæ, vel viliores Lapides nascuntur. De *Herbis* quidem sic loquitur Boëtius de Boot loc. paulò antè cit. *Herbæ* si aromaticæ & salubres fuerint, Lapidis vires augent, si insipidæ, ut gramen, Lapidem nullius facultaris proferunt. Quod Indis optimè notum est, inquit:

Qui Animalium in planis locis degentium Lapides flocci faciunt, tanquam *ad rem medicam inutiles*: In montanis verò degentium, ad venena, aliosque morbos difficillimos sanandos, in maximo habent pretio.

31. Similiter Monard. Simp. Med. libr. 3. Sunt *selectiores* inquit, qui ex Animalibus in Persiæ montanis degentibus educuntur, quàm qui ex aliis Capris in Malacæ planis & campestribus viventibus: nam illi eo pretio non habentur, neque eam præstantiam & facultates obtinent, quas Persici, quoniam Malacenses Capræ ad lanienam duntaxat servantur, cùm adeò salutiferas plantas non depascantur, uti quæ in Montanis degunt. Eadem planè est ratio, inquit, in Occidentali India: Nam quæ in Montanis Peru vitam agunt, *selectiores* & *legitimos Lapides*, & ad medicamenta utiles habent; quæ verò in campestribus pascuntur, Malacensibus similes sunt, quæ gregatim ince-

incedunt, & vivunt uti greges, qui ad lanienam ſervantur: Ex iis enim multi quidem Lapides eximuntur, inquit, ſed *inutiles*, quoniam ſalubres illas Montanas herbas non depaſcuntur.

32. Generatur ergo *Lapis Bezaar* in Marſupio prædicti animalis, ſucco herbaceo ac terreſtri à tenuioribus partibus ſecreto, ut aït Boot; addo, ſpeciali concurrente veneno, ſecundùm prædicta: Ex hiſce humido per calorem abſumpto, pars terreſtris concreſcit in Lapidem, occultam veneni qualitatem implicans, contemperatam ſucci concreti qualitatibus, redditamque eâ ratione alexiteriam. Ea verò, ſi ſimilis ſubſtantia non illico nova accedat, lævore ſubducitur, & quandam exteriore ſui parte polituram induit. Hinc poſtmodùm novâ undiquaque materiâ accedente, agglutinatâ, accreſcente, nova cruſta inducitur, craſſa vel tenuis, pro copia affluentis materiæ; quæ iterum exiccata & indura-

durata, aliâ crustâ obducitur; idque toties, quoties nova suppeditatur materia, nullumque interim impedimentum augmento officit. Quò autem crustæ magis profundæ sunt, eò ferè splendidiores ac nitidiores esse traduntur.

33. Atque ita hi Lapides variæ inveniuntur *magnitudinis*: Sunt enim qui duntaxat *dimidiam drachmam*, sunt etiam qui *duodecim* vel *quindecim drachmas* pendent; quales se conspexisse testatur Acosta: Nonnulli adhuc *majores* reperiri ferunt, inquit: Quandoque ad *ovi anserini magnitudinem* excrescere traduntur, crustis seu laminis aliis identidem superindictis prioribus, modò crassioribus, modò tenuioribus, velut cæparum tunicæ exteriores interioribus. Ita refert Boot libr. 2. cap. 191. Rudolphum II. Imperatorem Lapidem Bezaar *ovi anserini magnitudine* aut *paulò majorem* habuisse, è quo poculum confici jussit: Repertæ autem fuerunt in ipsius meditullio herbæ eximiè redolentes,

lentes, circa quas crustæ & laminæ superinductæ à natura fuerunt.

34. Quin & variæ *formæ* inveniuntur, & diversi *coloris*: Alii quippe *rotundi* sunt; alii *oblongiores*, ovi formâ, aut columellæ; alii *triangulares*; alii *sessiles* unâ parte, & *gibbi* alterâ, uti castaneæ: postremò, nonnulli sunt *coloris* ex viridi nigricantis, alii mali insani colorem referunt, alii obscuriores sunt, alii dilutiùs virent, & nonnulli etiam flavescunt, ut tradit Acosta. In *Peruano Lapide Color* nunc nigricans est, nunc subcinereus, interdum flavescens; constantque ex crustis, aliâ aliam amplectentibus, politis interdum & splendentibus, nonnunquam aliquantulum scabris, extimâ præsertim & reliquas complectente; ut in renum & vesicæ calculis videre licet, ut habet Clusius in Notis ad libr. 3. Monard. de Simpl. Med.

35. *Vires* hujusce Lapidis quod attinet; Quamvis qualitatibus primis tem-

peratis polleat; nec sapore insigni sit præditus; nullum tamen prædicatur præstantius remedium ad cordis corroborationem, atque adversùs venena quævis & febres pestilentes. Commendatur item ad cordis palpitationem, syncopen, melancholiam, ad Quartanam, Vermes puerorum & adultorum, malam scabiem, lepram, pruriginem, impetigines, & nescio ad quos non affectus alios, præsertim diuturnos. Certè *Panacæa* quædam nonnullis habetur adversus plerasque ferè ægritudines. In mulieribus tamen præsentius afferre remedium quàm in Viris, se observasse notat N. Monardis.

36. Quin &, non modò *intus* adhibetur; sed & *extrinsecus* admotus, insigni facultate pollere censetur. Ad omnium animalium venenatorum ictus & morsus valet; inquit Boot libr. 2. cap. 193. si vulneri imponatur.. Nec minùs vulneribus toxico aut veneno à sagitta, aliove instrumento infectis, pulvis inspersus

ſperſus medetur. Foris, inquit, ſi alligetur ſiniſtri lateris brachio, ut nudam cutem attingat, perhibetur venenis reſiſtere, & cor tueri, ne à veneno, aëreve peſtilente aut contagioſo lædatur. Apertis etiam carbunculis peſtilentibus, ſi inſpergatur, venenum omne exugere creditur.

37. Ac Serapionis Interpres loc. alleg. & ex eo Habelchover. in Not. ad Bacc. Quando ponitur, inquiunt, in annulo ipſe Lapis, & reponitur in ore ejus qui ſumpſit venenum, & ſugit aliquantulum, confert ei: Et ſi ponatur Lapis iſte ſuper locum punctura, aut ſuper locum morſuræ animalis venenoſi, quemadmodum eſt punctura Scorpionis, Cantharidum malarum, aut Zambor, confert iis juvamentum manifeſtum: Et ſi teratur, & ponatur ſuper morſum reptilium venenoſorum, attrahit venenum per ſudorem; & ſi locus in quo eſt morſus, eſt putrificatus, & pulverizatur ſuper locum ex

hoc Lapide, mundificat & curat: Et quando tangitur cum isto Lapide aculeus Scorpionis, prohibet ab eo potentiam pungendi; & si teratur ex eo pondus duorum granorum hordei, & dissolvatur in aqua, & ponatur in ore serpentis, suffocat serpentem statim & occidit eum.

38. *Dosis* passim varia præscribitur: Ad noxia exanthemata sive pustulas, & herpetes, quæ in India admodùm noxia sunt, & subinde ægros necant, pulverem Lapidis Bezaar ad *unum* aut *alterum granum* per singulos dies, ex aqua rosacea, propinat Garcias. *Duo grana* in aqua melissæ ad cordis palpitationem præscribit Boot: Similiter contra Pestem, febrium Pestilentium virus, etiam earum quæ exanthematta, petechias, herpetes, & papulas malignas producunt, (quos affectus citò ac miraculi instar compescere atque extinguere dicitur,) ab Indis quotidie pulverem *duorum granorum* pondere, cum

cum aqua rosacea propinari, idem testatur. *Tria* hujus Lapidis *grana*, cum aqua destillata ex floribus arantiorum, vel herbæ scorzoneræ, contra venena præstantissimum esse alexiterium, refert Habelchoverus: qui idem *totidem grana* cum aqua liliorum alborum, betonicæ, vel pulegii, parturientibus exhibita, secundinas remorantes certo experimento educere testatur. Idem verò animalium venenatorum morsi- & puncturis conferre aït, si ex eo *duodecim granorum* hordei accipiatur.

39. *Occidentalem* in syncope ad pondus *quatuor granorum* felicissimo cum successu ex aqua ros. si adsit febris, ex aqua florum mali aureæ, si absit, adhiberi testatur Monardis. A *granis* 4. ad 10. pulverem commendat Boot, cum liquore convenienti sumptum, contra quosvis cordis affectus. Solent interdum nonnulli, teste Garciâ ab Horto, ad *triginta* usque *grana* sumere, (de Orientali interim hoc commemorat,)

morat,) sed addit, nimis sanè magnâ quantitate: Nam tametsi, inquit, nullas noxias facultates in se contineat hic Lapis, tutior tamen est ejus exigua quantitas: Atque ita parva quantitate exhibere solent in Ormuz; nec sine periculo liberaliùs sumi dicunt, teste eodem: Quod sanè in ipso illo Lapide venenositatis aliqud arguit.

40. Meo autem judicio, inquit Boot libr. 2. cap. 193. errant vehementer, qui vel ante vel post ejus sumptionem aliquid ægro offerunt, etiamsi id æquale viribus Lapidi putetur. Nam rerum sæpe occultus dissensus est, nec homini notus, & talis qui effectum optatum impediat & prohibeat, quem utraque res seorsim usurpata produxisset. Qui id non capit, inquit, spiritus vitrioli & spiritus tartari antipatheian perpendat: uterque enim istorum acidissimus & acutissimus est. Si misceas, utriusque acrimonia perit, & liquor redditur insipidus. Suadeo itaque, inquit, ut no-

ut nobile istud medicamentum perpetuò solum, si ejus certum commodum desideretur, exhibeatur.

41. Similiter suadet Sylvaticus, unà cum Lapide Bezaar aliud medicamenti genus miscendum non esse, quod & Arabes damnâsse aït: Quin & ipsi Indi, qui primi hoc medicamentum cognoverunt, illudque primi in usum Medicum traduxerunt, eo simplicissimo & impermixto uti consueverunt, ut ex Garcia ab Horto, Monarde, aliisque, colligere licet.

42. Cæterùm legitimus *usurpandi modus* omnino attendendus est: ut non nisi *quibus* convenit, & *quando*, circumstantiarum quoque aliarum ratione habitâ, adhibeatur. Utique *Bezoar corporibus sanis non convenire*, magni nominis Autores volunt; quin imò *sanos occidere* (frequentiùs scilicet aut majori quantitate haustum:) Præterea, non convenire ægrotis omnibus promiscuè; sed iis tantùm, qui morbo quocunque laborant

laborant ex malignitate originem habente.

43. Atque ita monet Gabelchoverus in Annot. ad Bacc de Gem.cap.34. *Lapidem Bezoardicum non curare nisi adsit dispositio venenosa in corpore à veneno, vel illi non absimili* (hoc est, à maligna aliqua qualitate,) *producta; quia*, inquit, *hi Lapides conferunt corpori virtutem quandam, quæ est contraria virtuti veneni.* Sunt enim medium quoddam, inquit, inter corpus & venenum; ita, ut sint ex una parte sicut venenum, & sicut medicina ex alia, non quòd sint medicinæ ex parte quâ sunt venena: Non enim absurdum est, inquit, actiones sive operationes diversas ab uno agente prodire, pro subjecti & locorum dispositione varia: *Vnde sani homines ab eorum usu abstinere debent*, inquit.

44. Atque hoc ipsum est quod dicit Averr. Collig. libr. 5. cap. 23. *Iste medicinæ Bezaricæ*, inquit, *non curant, nisi recipiantur cùm est in corpore dispositio venenosa*

venenosa facta à veneno: Et tunc dant corpori virtutem quæ est contraria virtuti veneni: Et sic curatur venenum per accidens. Propterea, inquit, *quando illas comedit homo sanus, sunt sicut venenum*: Et paulò pòst: *Sed causa quare Bezaar occidit sanum, non est nisi quia non habet prodesse, nisi quando in corpore est dispositio venenosa. Et est ut illæ medicinæ faciant duas operationes in corpore humano: Vna est ut venenosa, quando recipitur non existente in corpore dispositione venenosâ; & alia est juvatrix, quando in corpore est dispositio venenosa.* &c. Hanc sententiam confirmat Gal. 5. Simpl. cap. 18.

45. Atque ita *Lapis Bezoar* curat *Vertiginem, Epilepsiam, Syncopen*, quæ oriuntur ex assumpto *Napello* (aut simili aliquo veneno,) apud Rhas. ad Almans. libr. 8. cap. 11. Nequaquam verò curat *Vertiginem*, quæ oritur v. g. à copia vaporum ex ventriculo debiliori assurgentium; vel *Epilepsiam* ab acrimonia humorum in corpore dominantium; vel *Syn-*

vel *Syncopen* ex hæmorrhagia copiosâ obortam. Similiter curat *Icterum*; at obortum à morsu viperæ, vel simili aliqua malignitate, (velut videre est apud Abenzoar l. 1. Theis. tract. 13. c. 6.) nequaquam verò ortum ab obstructione ductus choledochi. Ita ubi melancholicis humoribus malignitas subest, *melancholicos affectus* compescit: nequaquam verò ipsos melancholicos humores proprietate suâ extenuat, vel evacuat. Atque ita de cæteris.

46. Ut adeò non probè consulant Ægris Medicastri illi, qui sine Artis peritia, sine omni methodo, in omni Epilepsia, quovis tempore, nullâ ipsius causæ habitâ ratione, nulla corporis præmissâ præparatione, nullâ humorum noxiorum per legitima remedia evacuatione, ad solum *Lapidem Bezoar*, tanquam ad sacram anchoram, confugiunt, eumque vel solum, vel cum simili aliquo, (quod nesciunt an non fortè ejus vires genuinas retundat, ac

opera-

operationem impediat,) propinant; ac interim miseros mortales hac suâ supinâ ignorantiâ, vel potiùs erroneis persuasionibus ac imposturis, quin imò execrandâ & perniciosâ potiùs temeritate & audaciâ, quâ sibi arrogant quod non intelligunt, meliorum medicamentorum usu privant: quo sanè fit ut ægris succumbentibus omnino *causam mortis præbuisse* ipsi jure meritoque dici mereantur.

47. Præterea, in Affectibus qui per intervalla Paroxysmos habent, (velut Epilepsia, Syncope, Melancholia, &c.) ubi vel convenit Lapis Bezaar, non promiscuè tamen quovis tempore exhiberi debet: Intempestivè enim exhibitus, non raro causam in corpore delitescentem, ac quasi sopitam, in actum excitat: velut & de aliis medicamentis, contra Epilepsiam vel Apoplexiam valentibus, passim notum est. Atque hinc Monard. libr. 3. Simpl. Med. Lapidem *in ipso Paroxysmo* aut *paulò antè*, propinari

nari debere docet. Ut adeò ii, qui neglectis aliis ac melioribus remediis, quibus interna causa, in humorum vitio quocunque consistens, tollatur, ad Praeservationem quovis tempore promiscuè utuntur Lapide Bezaar, saepenumerò in causa sint, cur Paroxysmus acceleretur, ipsaque delitescentis in corpore causae vis excitetur atque intendatur.

48. Quin &, neque in morbis continuis, seu Paroxysmo per intervalla carentibus, quovis morbi tempore usus *Lapidis Bezoar* commodus censetur. Certè, *An in morbi initio & augmento universali tutò Lapis Bezoar offerri possit*, Viri gravissimi magnâ ratione dubitârunt, judice Casp. Bauhin. de Lap. Bez. cap. 30. Quasi scilicet, Serapione monente, sudorem movere soleat is, qui Orientalis est; Occidentalem verò, ventrem movere, aliqui voluerunt: quorum neutrum *in universali morbi initio*, in quo crudi sunt humores, sicuti nec *in augmento*, convenire

nire satis manifestum esse puto, inquit Bauhin. cit. loc.

49. Saltem, non nisi *post universalia* adhibita, (Purgationes, Vomitus, Venæsectiones, pro re nata,) convenienter propinatur Lapis Bezoar. Ita in India Orientali, non nisi *præmissâ Purgatione* adhiberi ab iis, qui bis in anno ad dispellendam aut arcendam internam noxam eo utuntur, testis est Garcias ab Horto cap. 45. & Monard. libr. 3. Similiter Avic. libr. 4. Can. fen. 6. tract. 2. cap. 12. usui ejus contra fel viperæ assumendi, *Vomitum* præmittit.

50. Ut adeò verissima sit illa Chaïni sententia, quam Manlius in Epistola ad Cratonem scripta refert: *In morbis tempore oportuno hunc Lapidem propinandum esse, & non nisi post universales evacuationes; alioqui humores peccantes agitari, & vehiculum ipsorum ad locum affectum fieri.*

51. Hisce ergo observatis Cautionibus, usum Lapidis Bezaar in variis morbis

morbis nequaquam inutilem esse censemus, dum modò de *genuno* queamus esse certi; ac imprimis, (cùm nec genuini omnes efficaces sint,) queamus consequi *probatum*. Non tamen interim stupendas ejusmodi vires, quibus nonnulli supra omne medicamenti genus Lapidem Bezoar extollunt, ac quales nonnullas superiùs censuimus, eidem deferimus; nec passim in omnibus morbis ejus usum probamus.

52. Quippe fidem hîc potiùs habemus Doctissimo & Expertissimo Bontio, qui in sua Med. Indorum, Not. ad cap 45. Garciæ ab Horto, *Quantum*, inquit, *ad hyperbolicas hujus Lapidis virtutes, & facultates portentosas, non tantas in eo mille experimentis edoctus inveni: alioqui etiam naturâ non pronus superstitiosas medicamentorum facultates facilè admittere, nisi experientiâ id verum invenerimus.* Nimium certè superstitiosa est illa Lapidis Bezoardici virtus, quam describit Serapio his verbis; *Lapis Bezahar*

zahar confert veneno Scorpionis, quando portatur in annulo, & inciditur in eo imago Scorpionis, Lunâ existente in signo Scorpionis; & aspice quòd sit ascendens, deinde sigilla olibanum cum eo, Lunâ existente in Scorpione, quod tritum datur patienti ad potandum. Aniles ejusmodi nugas ridemus.

53. Quod verò circa Orientalem Lapidem observavit Bontius in ipsa India Orientali, (ubi genuini ac selectiores majori cum certitudine haberi possunt,) non inesse illi tantam virtutem, quanta vulgò ipsi tribuitur; idem in India Occidentali circa Peruvianum notavit *Alverus Torresius*: Hîc namque *illarum partium Medicus haud incelebris, qui ex Lima, Peruviæ civitate, varia genera hujus Lapidis mihi transmisit,* (inquit Baccius loc. allegato,) *de quibus infinitas experientias habuit, optimo judicio non tanta de ipso prædicat miracula, quanta Arabes ipsi adscripserunt.*

54. Quin &, circa *externum usum* notandum id quod Garcias ab Horto

ingenuè profitetur: *Quod scribit Matthiolus*, (inquit) *libr. 5. cap. 73. Comm. in Diosc. alligatum* (Lapidem Bezoar,) *ita ut nudam sinistri lateris carnem contingat, omnia venena superare, experiri nunquam vidi, nec hîc simili modo utuntur. Illud autem verum scimus*, inquit, *quod ejus pulvis vulneri impositus, à mortiferis animalibus istos liberet: Iisdem viribus pollet, apertis carbunculis in Peste impositus.*

55. Quod si verò in ipsis Indiis, ubi selectiores certò haberi possunt, decantatis viribus effectus non respondet; quid nobis de Lapide Bezaar pollicebimur in iis regionibus, ubi omnino incertum est an genuini prostent. *Tam multi adulterini advehuntur*, inquit Monard. libr. 3. *ut è centum vix denos legitimos invenias, quemadmodum ipsimet Indici Scriptores fatentur, istic multos adulterinos conflari.* Quin imò dubitat Baccius, *an ex Oriente alii adducantur Bezoardici Lapides præter adulterinos.* Similiter Vallesius, Regis Hispaniæ Medicus

cus cubicularius, libr. 4. meth. med. cap. 2. *veretur ne omnes sint falsi.*

56. Et sanè, unde tanta nobis hîc copia suppeteret Orientalium Lapidum, quanta vulgò prostat? cùm teste Garcia in fine cap. 45. *tanto in pretio habentur in nativo suo solo, ut necesse sit, omnes ejus regionis, in qua generantur, ad Regem perferri, nec sine difficultate inde haberi possint.* Ac referente Christoph. à Costa, *tantum horum Lapidum æstimatio sit, apud gentiles & indigenas, ut dicere soleant, Licet Deus omnia in hominum utilitatem creârit, damnum tamen quodammodò esse, eum Lapidem in alium usum convertere, quàm Principum & nobili stemmate progenitorum; quandoquidem in plebis usum, Lapidis Bezar loco, radicem Moringa creâvit.*

57. Speciatim de iis, qui in Persia proveniunt, refert Bontius Not. in Garc. *eos apud Reges Persiæ in tanto esse pretio supra reliquos, qui aliis in locis gignuntur, ut magnus Xaa-Bas Imperato-*

rum Persarum, ultimo mortuus, An. 1620. *inibi vigiles locârit, ut omnes istos Lapides Bezabar, qui certum pondus excederent, sibi vindicarent.* Dum interim minores, referentibus aliis, sibi servant Magnates, qui aliis Magnatibus eosdem pro splendido munere dono mittunt. Atque hinc est quod refertur apud Serapionem de Simpl. Med. cap. 396. se vidisse Lapidem Bezahar, quem emerit princeps Almirama; *& esse verùm quod dederit pro pretio Lapidis Palatium Cordubæ in principio Guerræ.*

51. Similis ferè ratio est, Lapidum Bezaar Occidentalium, seu Peruvianorum: de quibus refert Clusius in Not. ad libr. 3 Monard. ex testimonio Generos D. Francis. Drake, *eos sibi invicem Regulos magni muneris loco missitare.* Ipseque ille Vir Nobilis (de quo antè) in Epist. ad Monard. testatur, *Indos eos Lapides magno habere in pretio, eosque in Idolorum suorum delubris, uti etiam alia pretiosissima quæque, veluti aurum,*

rum, argentum, gemmas, &c. offerre ſolere: Quin imò, refert idem, Indos interfeciſſe puerum illum, eumque ſacrificâſſe, qui, in qua corporis parte Lapides illi in Animalibus reperiri poſſent, monſtrâſſet.

59. Et ſanè, non adeò magnam frequentiam bonorum ac ſelectorum Lapidum in ipſis Indiis eſſe poſſe, hinc liquet, quod Capræ quæ eos geſtant morbo laborent, non ſecus atque homines qui laborant calculo renum aut veſicæ, ita ut nonnullas contingat ex eo morbo mori, ut liquet ex præcedentibus: At veriſimile eſt pauciores eo morbo corripi. Quin &, non omni anni tempore naſci, dictum eſt; ac aliis anni tempeſtatibus natos, aliis iterum conſumi. Præterea plurimos, qui nempe in campeſtribus proveniunt locis, inefficaces & inutiles eſſe, conſtat ex præcedentibus. Accedit, quòd montana illa animalia admodùm fugacia ſint, ac difficulter capi poſſint,

ut omnes testantur: at nec illa omnia, Lapides gestare verisimile est.

60. Prædicta verò raritas illius Lapidis, etiam in ipso Oriente, procul dubio causa est, cur Rhases Arabs, (qui primus inter Medicos eundem scriptis commendavit,) tanta cum sollicitudine identidem in ejus usu commendando versetur, ut passim difficultatem veri selectique Lapidis obtinendi non obscurè insinuet: Ita namque, ubi Lapidem Bezahar commendat contra fel viperæ, libr. 8. ad Almans. cap. 14. addit, *si inveniri potest; si verò inventus non fuerit*, &c. Et ibid. cap. 11. contra Napellum eundem præscribens, disertè addit, adhibendum esse *probatum*, (ne sc. adulterino, qui vix vel ne vix quidem discerni queat, ut inferiùs patebit, plus noxæ inferatur; vel improbo saltem atque inutili cura irrita reddatur, ac interea elabente præcipiti occasione malum intendatur:) At quotus quisquè eorum qui

qui Lapides illos vendunt, aut qui eosdem inter κειμήλια sua servant, de *probatis* gloriari possunt.

61. Hæc eadem *raritas probatorum* ac *utilum Lapidum* Bezaar, procul dubio in causa fuit, cur Avicenna, Mesue, aliique Arabes Scriptores, inter Simplicia medicamenta, (ubi vel de hisce ex professo scripserunt,) Lapidem Bezaar non similiter ut alios Lapides medicamentosos descripserint, utpote cujus exactam cognitionem nequaquam habuerint, quantumvis in Oriente ipsimet vixerint.

62. Jure autem merito de probitate Lapidis Bezoar, non nisi per experientiam, seu quod usu *probatus* sit, voluit judicare Rhases; utpote cùm *multi Lapides assimilentur Lapidibus Bezahar, qui non habent proprietatem ipsorum, nec cum iis conveniunt in operationibus*, ut docet Serapio cit. loc. Esse enim Lapidem consimilem aït, qui dicatur *Chobori*; & alium qui *Chindos*, *in quo multi* errent.

 63. Ita

63. Ita *Lapides*, *qui Bezoar referebant*, *in Equis*, & *Asinis* quoque repertos fuisse, Jordanus, Crato, Bauhinus, & Mindererus testatur, referente Guil. Fabric. Hildan. Cent. 4. obs. 24. ubi & seipsum quoque, inter rariora sua servare *Lapidem* narrat idem Fabricius, qui habeat magnitudinem ferè castaneæ, qui in plurimis notis cùm Bezoàr respondeat, & tamen *in ductu urinario Porci* Coloniæ Agrippinæ repertus fuerit, forsan eòdem cùm mactaretur, propter mortis violentiam ex ipsa vesica detrusus.

64. Quin & Fragmenta Lapidis se habere idem refert ibidem, quæ ad unciam ferè usque ponderent, quæque speciem Lapidis Bezoar tam bellè præbeant, quoad externam & internam faciem, respondentibus omnibus ordinariis notis, (quas ibidem recenset;) ut nisi ipsemet fucum sciret, pro vero Bezoar ipse cum multis aliis viris doctis judicaret; quare Capsulæ, cui inclusa

clusa erant, sequens *Decretum* addit. *Fragmenta hæc Lapidis, cineritii coloris, & drachmas septem, scrupulos duos, grana sex ponderantia; quæ hactenus à multis variisque doctis, & in re medica & pharmaceutica eruditis Viris, quibus ea monstravi, pro genuino Bezoar habita, judicataque fuêre, testor ego, non Bezoar, sed calculum ex vesica hominis excisum esse; Eumque non in usum hominis me reservare, sed ut, quanta sit in cognitione & electione veri Lapidis Bezoar difficultas, monstrare probareque possem. Si quis secus fecerit, de fragmentis istis pro Bezoar vendiderit, ægris aut sanis propinaverit, maledictus, execrabilis esto.*

65. Idem G. Fabritius refert, se apud D. Danielem Episcopum Lithotomum, Bernæ, ultra quinquaginta calculos vidisse, quos ipsemet ex corporibus humanis extraxerat; inter eos verò nonnullos observâsse, qui ex multis tenuissimisque laminis constabant, & Occidentalem Bezoar quàm eleganter præ se ferebant: Quapropter, in-

quit, optimum illum ſenem conſtituiſſe, & hæredibus ſuis mandâſſe, ut fato ſuo functo omnes quos extraxerat, ſibique reſervaverat, feretro ſuo imponerentur, ne forſan impius aliquis impoſtor impoſturam cum ipſis exerceret.

66. Quin imò, ſi vel maximè diſcerni poſſent *falſi Lapides*, qui ab aliis quibuſcunque animalibus provenerunt, aut fortè è terræ viſceribus ſunt eruti, à *veris Lapidibus Bezaaribus*: nulla certè hactenus nota eſt prodita, nec fortè ulla dari poteſt, quâ veri inter ſeſe diſcerni queant, an *efficaces* ſint, an verò *inutiles*: Malacenſes enim, ſeu qui ex Capris in Malacæ planis & campeſtribus viventibus educuntur, *non obtinere eam præſtantiam & facultatem*, quam habent ii, qui ex animalibus in Perſiæ montanis degentibus proveniunt, jam antè ex Autoribus relatum eſt: Similiter ex Capris, quæ paſcuntur in campeſtribus Peru, multos quidem Lapides eximi dictum eſt, ſed *inutiles*; cùm *ſelectiores*

selectiores & *legitimi* Peruviani proveniant ex animalibus in montanis Peru vitam agentibus. Ejusmodi verò *inutiles* potissimum ad nos afferri, (inter alios *factitios* ac *spurios*,) vero simile est: ac esse illos *inutiles* longè frequentiores, ex frequentissimo numero caprarum quæ ad lanienam pascuntur, quam ex montanis capris, quarum fortè rarò una vel altera capitur, omnino rationi est consentaneum.

67. Sed cùm insuper plurimi *adulterini* existant, & *factitii*, quid mirum, si statuamus cum Bauhino de Lapide Bez. cap. 15. *Bezoaris usum* (*de verò*, inquit, *non loquor*,) *non modò inutilem*, *sed etiam periculosum evadere*. Ut adeò pessimè consulant Ægris, qui melioribus ac certioribus medicamentis neglectis, omnem ægrorum salutem ex Lapide Bezoar, citra omnem methodum, Empiricorum more adhibito, quærere, atque per eundem ipsis sanitatem polliceri non erubescunt.

68. *Adulterinos* illos quod attinet: Testis est A Costa lib. de Medic. Ind. Orient. cap. de Manna, tanto artificio eos confici in Ormuz, & urbe Cochin Provinciæ Malabar, ubi Rex degit, *ut Legitimi appareant, fallantque etiam maximè expertos in iis dignoscendis primâ superficie.* Ac alibi docet idem, *Adulterinos* illos conflari, ex creta, cineribus testarum ostrearum (seu calce,) sanguine sicco, & Lapidibus Bezahar minoribus subtiliter contusis, & cum aliquo liquore, sibi incognito, simul diligenter incorporatis, ita ut naturales & veros æmulentur.

69. Sed leve hoc est: Gravius scelus est quod refert Ryff. in Pharmacop. Restaur. Consuevêre nebulones Cinabarim, Antimonium, Argentum vivum, ignis artificio variè compingere, conglutinare, tingere, *&* exiccare, ut verùm Bezoar æmuletur. Quid verò mirum, si tales factitii Lapides Bezoares, seu deleteria Venena potiùs, loco sudoris

ſudoris quem promovere deberent, alvum irritent, & Diarrhæam efficiant: quod ſe obſervâſſe ſæpius teſtatur Hoeferus in ſuo Hercule Medico libr. 8. (pag. 354.)

70. Varia quidem *ſigna*, quibus fraus detegi queat, atque adulterium cognoſci, colligit Caſp. Bauhin. Tract. de Lap. Bez. cap. 26. quæ impræſentiarum non commemoro. Quibus adjungi poſſent ea quæ occurrunt apud Bont. in Not. ad cap. 45. Garciæ; & apud G. Fab. Cent. 4. obſ. 24. Verùm, ſi hæc probè perpendantur, nec Autores inter ſeſe in iis conſentiunt; nec congruit aſſertis ipſa experientia.

71. Ut adeò non ſine ratione judicet Hildan. cit. loc. *Etiamſi varia, & ferè infinita ſigna, quibus cognoſcatur Lapis Bezaar, paſſim ab Autoribus Claſſicis tradantur; ſæpiſſimè tamen incerta ea eſſe, & fucum detegere non poſſe: Itaque quibus notis certis & indubitatis Lapis iſte cognoſci poſſit, nondum ſe videre.* Niſi fortè peri-

culoso experimento in homine *probatus* fuerit Lapis: Aut dato priùs animali alicui veneno, atque propinato mox Alexipharmaco ex Lapide: (quæ fortè proba unica tuta esse potest, at quæ rarissimè ab iis qui Lapidem Bezoar divendunt, institui solet:) An verò & hæc quoque satis certa, dubium; cùm nequaquam brutis animantibus cum homine sit eadem proprietas; plurimisque cum homine nulla sit analogia, v. g. columbis, gallinis, &c.

72. Patet ergo ex dictis, verissimum esse, quod ex Bauhino monet Hildanus, *talem tantamque esse impiorum hominum avaritiam & astutiam, ut Lapidis istius omnes conditiones naturales, tam externas, quàm internas, perbellè adeò imitentur, ut ferè discerni non possint.*

73. I nunc, imperite Medicaster, qui te rei ad te nullâ ratione attinentis, quam non capis, ita temerè immisces; illam tibi fige anchoram salutis, ut ubi medicina noxia vel deleteria à te exhibita,

bita, te propinâsse *Lapidem Bezoar* prætendas: quin &, (ne sequiora præbeas,) i modò, Artis expers, ac ignarus methodi, neglectis salutaribus ac necessariis remediis, extolle tuum Lapidem, (aut si quid simile,) periculosum passim, sæpius incertum, ac sæpissime nullo experimento comprobatum; hunc, inquam, quò te Medicum ostentes, ceu certissimum ac præsentaneum remedium adversus quoslibet gravissimos affectus, Epilepsiam, Convulsionem, &c. ex officinis peti jube.

74. Quod si fortasse casu aliquo feliciore, *spurium*, *adulterinum*, *noxium*, ac verè *deleterium* effugeris, si fortè *verum Lapidem* in officinis nactus fueris; rarò utique invenies *selectum* atque *efficacem*; rarissimè experimento certo *comprobatum*: Atque interim temeritate tuâ atque imperitiâ, prætereundo tutiora, certiora medicamina, ac temerariâ persuasione miseros à melioribus remediis arcendo, mali interim invalescen-

valescentis, atque noxæ gravioris, reum certè te constitues: Si verò nactus sis *factitium*, ac *spurium*, neglecta methodus, ac melioris medicaminis supina ignorantia, vel dolus ipse, quo te falsò Medicinæ venditas peritum, malorum consequentium te reum peraget.

75. Quin imò, si vel *optimum* fortasse *Lapidem* sis consecutus; dum interea hic Lapis causæ morbi extirpandæ minimè appropriatus est, quam tuâ culpâ neglectis, ob imperitiam, profectò morbi gravitate tand[illegible] ægro succumbente, ut ut fortè mortem per te ipsum intulisse nequeas censeri, neque fortè *Homicida* sive *Latro* nuncupari, certè interim, inani spe lactando ægrum, eundemque ope meliore, certiore, & auxilio accommodato ægritudini, destituendo, ut non judiceris *causam mortis præbuisse* apud æquos Judices, nequaquam obtinebis: Quod si verò sit dicendus *occidisse*, *qui quolibet modo causam mortis præbuisse* dici potest, (ex

(ex leg. 51. ff. ad Leg. Aquil.) nil te tuus *Lapis Bezoar* jnvabit, quin omnino reus criminis habendus sis, quin *occidisse* hominem judicandus.

DE BEZOARDICO LAPIDE.

Ex Annot. D. Guidon. Patini, Medici Parisiensis, ad Tractatum de Peste D. Nic. Ellain.

SI Gallicus Democritus jure merito laudandus veniat, quòd molam cęteris omnibus anteponat lapidibus, ob illius usum generi humano adeò necessarium: vice versâ potiorique ratione Bezoardicum lapidem insectari mihi liceat, cum eo velut instrumento Empirici sordidique Pharmaceutæ tot hominum myriadas miserè circumvenerint, ex quo lapis iste offensionis adinventus est. Lapis, inquam, offen-

offensionis, in quem jam pridem legitima abdicata medendi methodo viaque regia ab Hippocrate & Galeno commonstrata, turpiter adeo impactum est. Falsis infandisque experimentis fide temerè habitâ. Infandus lapis, à quo tot ferè offensi sunt, quot à strenuissimis remediis adjuti. Facile planumque mihi foret, solidis celeberrimorum Autorum autoritatibus, velut validissimis machinis, extructum dudum ex isto fabuloso chimericoque lapide ædificium diruere. Sed quia inveteratus iste abusus, lucrionum sordibus & dolis introductus, exolescere incipit, egregio Medicorum, tam infami mangonio infensorum, studio & operâ, non ita multus ero. &c. *Et pòst*. Rationis cedite potentiæ, tot eximiorum Europæ Medicorum à Domino Guiberto in Medici officiosi & domestici libello curiosè citatorum. Illis cedite, quos hîc succenturiabo, ut intelligatis, unam esse æquabilemque toto

orbe

orbe de eo ſententiam. Nicolaus Boccangelinus Hiſpanus eruditiſſimus, Imperatorius Medicus, *in tractatu febrium malignarum & peſtilent.* capit. 17. ejus uſum condemnat, &c. Hieronymus Rubeus Ravennas Clementis VIII. Medicus nominatiſſimus, *Comment. in c. 7. libr. 3. Celſi*, hujus lapidis fallaciam his exprimit verbis. *Non diffiteor in febribus malignis, magnatibus viriſque illuſtribus quàm plurimis lapidem Bezoardicum me ſæpiuſculè præſcripſiſſe ad 8. 10. 16. grana: verum nihil unquam laudabile exinde ſubſecutum, obſervatum eſt, neque ſudorem, neque vomitum, neque alvi fluorem, nullumve ſubſidium aut emolumentum: etſi ſplendidè lapides iſti coëmpti fuiſſent, pro veris nativiſque haberentur, ab opulentis & eminentibus viris comparati. Præterea operæ pretium facturum arbitror, ſi moneam lapides illos fictitios eſſe & adulteratos, quod nobis innotuit in Clementis VIII. Pont. Max. felicis memoriæ, morbo, in quo ex lapidibus iſtis ſupra quadraginta ad nos allatis, ne gra-*

ne granum quidem legitimum optimæque notæ deprehendere licuit. Martianus Medicus Romanus *Commentariis in Hippocrat.* qui, *nihil præter nomen atque opinionem ex lapide Bezoardico nobis supereſſe*, aït, *citra ullum ſucceſſum*; *quod veriſſimum ex notis ab autoribus illi aſſignatis experientiaque comprobatur.* Rodericus à Fonſeca, Profeſſor Patavinus celeberrimus, *tractatu de febribus malignis*, ingenuè fatetur *nullum unquam memorabilem ex lapide Bezoardico, ſæpe ſæpius in febribus malignis à ſe exhibito, effectum conſpexiſſe. Præterea, lapides omnes Bezoardicos hodierno die adulterari, ut nulli genuini reperiantur.* Joannes Colla Belluenſis, Italus eruditione clariſſimus, Duciſque Urbinatis Medicus cubicularius, libro cui nomen *Coſmiter Medicæus*, longiuſculo de lapide Bezoardico tractatu, illos ſugillat, qui illius uſum citra rationem deprædicant, quique paſſim omnibus in morbis eo promiſcuè utuntur, propter lucrum inde dimanans. Theodorus Angelutius

gelutius *lib. de Febr. malign. curat.* eum sic improbat. *Omnibus Medicis consulo; ne ejusmodi credant lapidi, neve ullo modo in usum vocent, cùm certissimè constet, nullum extare qui adulteratus non sit: multique viri egregii fideque dignissimi profitentur, atque etiam egomet audacter affirmo, ex illius usu nulli unquam ægroto optatum fructum successisse.* Thomas Minadous, Medicus Italus etiam clarissimus, his astipulatur *libro de febribus malignis cap.* 15. *Nec admitto* (ait) *nec in Bezoardico lapide vim ullam occultam deprehendo, quæ febribus opitulari possit malignis: meaque sententia est, commenta esse anilesque fabulas, quicquid ab Arabibus de eo scriptum, & à Recentioribus etiamnum ventilatum est. Pluries enim variisque in ægrotantibus illum præscripsi, sed frustraneo semper eventu.* Aloisius Mondella *in medicam. simplicium examine*; Medicum quendam ait sibi notum, qui lapidem ex hydrargyro & auro fabricaret, quem Bezoardicum nominabat, ex cujus usu plurimi interibant.

teribant. Paræum *libr.* 21. *cap.* 44. asſertorem advoco, omneſque Bezoardicos Paranymphos & Chymicos ad unum provoco, ut adductus inibi rationibus ſatisfaciant, Chirurgus licet duntaxat ille fuerit; hinc D. Ludovicum Guyonum Dolenſem *variar. lection. tom.* 1. *cap.* 10. *lib.* 1. Riolanum patrem, Pariſienſem Medicum eruditiſſimum *Comment. iu Fernel. capit.* 17. *l.* 2. Andream Laurentium Henrici IV. Gallorum Regis Archiatrum *Conſil. cap.* 1. *&* 14. &c.

FINIS.

DISSERTATIONES
DE
MANNA,
ET
SACCHARO.

Præpositæ in Academia Groningæ & Omlandiæ.

AB

ANTONIO DEUSINGIO,
Med. ac Phil. Doct. Illiusque Prof.
Prim. Celsissimi Principis Gubernatoris
ac Provinciæ Archiatro.

CELSISSIMO PRINCIPI,
AC DOMINO,

D. JOANNI MAURITIO,

Principi Nassoviæ, Comiti Cattimeliboci, Viandæ, Dietziæ, Domino in Bylstein, &c. Illustris Ordinis Equestris Ioannitici per Marchiam, Pomeraniam, Saxoniam, ac Vandaliam, Præfecto superiori; Ducatus Cliviæ, Principatus Mindensis, ac Comitatus Marckæ & Ravensbergæ Gubernatori; Equitatus Fœderati Belgii Vice-Generali, &c.

Domino meo Clementissimo;

CELSISSIME PRINCEPS,

MAGNO illi Terrarum orbis Domitori, Alexandro, volupe fuit aliquando, ad Diogenis doliolum se demittere, ac contemplari cum admiratione Phi-

 losophi

losophi in summa rerum tenuitate ἐντάθειαν. Similiter haud displicebit Tuæ Celsitudini, cujus Heroïcæ Virtutes jam dudum QUA PATET ORBIS fulgore pleno radiant, ad hanc Academicam umbram paulisper concedere; atque, præ Regum, Electorum, & Imperatorum dapibus, æqui boniqae consulere hæc Bellaria Academica, (quæ fortè ad manus sunt, dum Celsitudinis Tuæ, ac tot Celsiss. Principum præsentiâ lætamur omnes in Urbe & Omlandia,) ex *Manna* & *Saccharo* confecta imprimis artificio Naturæ: ut, quo sis erga humaniora studia affectu, Arte simul ac Marte clarus, Borealis hæc itidem Fœderati Belgii plaga animadvertat.

tat. Eum ſuſpicit dudum ac veneratur in Celſitudine Tua, juxtàac in Celſiſſimo Principe noſtro Gubernatore, GUILIELMO FREDERICO NASSOVIO, Domino meo Clementiſſimo, Herbonenſis Schola Academica; eundemque in Cœlum laudibus extollit Duiſburgenſe (viciniſſimum Patriæ meæ) Athenæum, munificentiâ Sereniſſimi Electoris Brandeburgici erectum ac ſtabilitum. Nec fieri poteſt aliter, quin Heroïci ac cœlo ſublimiores Animi cœleſtia illa bona, quibus Muſæ beant aſſeclas ſuos, extollant altiùs, foveant, favoreque paſſim proſequantur. Sed cur præ tot eximiis Reipublicæ noſtræ literariæ Antiſtitibus Tuam Celſi-

tudinem publicè compellare ausa sit hæc mea tenuitas, non una ratio impellit. Naturalis quidam nexus, indeque fervor animi, quo me Illustrissimæ Domui Nassovicæ atque Auriacæ obstrictum agnosco, (Celsissimi Principis Auriaci, &c. Moersæque Comitis, &c. natus subditus,) tenuitati vota viribus ampliora passim addit; idemque animum erigit piosque conatus, quò facultatibus quantumvis annitentibus assurgere datum non est. Præterea, singularis observantiæ cultus Celsitudini Tuæ me vel absentem dudum vendicat devotissimum, atque pertrahunt in obsequium vota animum, ubi rerum agendarum occasio negatur: dum

Serenissi-

Serenissimo Electori Brandeburgico, in Ducatu Clivensi, (ubi Tu, Celsissime Princeps, Electoris loco rerum summa tenes,) obsequii jure ac parendi necessitudine devinctus, ibidem & Affines, & Fratres, & Amicos complures, Serenissimi Electoris Officiarios ac Ministros fideles, agnosco: qui ut unà mecum Illustrissimæ Tuæ Celsitudinis obsequentissimi ac devotissimi cultores se gerunt; ita gratiam ac favorem perennem ab Eadem unà mecum humillimo observantiæ cultu poscunt. Deus ter Opt. Max. Celsitudinem Tuam diutissimè salvam atque incolumem præstet, Fœderati Belgii bono, ac Popularium meorum, meoque;

meorumque solatio atque tutamini! Idemque ille supremus Moderator Rerum, Illustrissimam Domum Nassovicam & Auriacam in gloriosissimam æternamque Posterorum memoriam florere porrò atque vigere jubeat, ad excelsam sui Nominis gloriam, Ecclesiæ Orthodoxæ firmamentum & augmentum, Reipublicæ nostræ sublime decus ac stabilimentum! Sic devotissimo pectore voveo! sic precor! futurus perpetuùm,

CELSISSIME PRINCEPS

Celsitudinis Tuæ

Humillimus

Cliens

A. DEUSINGIUS.

Groningæ, ex Musæo meo, Nonis Iunii, M CIↃ CLIX.

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

S.

ANTONIUS DEUSINGIUS.

Cum nuper, Benevole Lector, haud satis ad palatum visa sint Medicastris quibusdam, ea quæ de ipsis circa Unicornu *ac* Lapidem Bezoar *exhibuimus; ad quod utrumque Medicamenti genus imperitum Medicastrorum vulgus, cùm lethales commisêre errores, prætextus causâ, ceu ad sacram anchoram, confugiunt: libuit tædium dulci aliquo sapore oblinire: In quem finem nobilissimam ac delibatu dignis-*

ſimam materiam De Manna *congeſſi obiter, eamque publicè expendendam Academicis primùm Civibus propoſui, Reſpondente Ornatiſſmo Iuvene* Joanne Welhuyſen Groningano. *Adjeci inſuper Diſſertationem de* Saccharo, *tum ob affinitatem cum Melle, cujus ſpecies ipſum Manna eſt, tum quòd Viris præclaris hæc ipſa materia ventilatione jam olim digna viſa ſit. Illuſtris Salmaſius multa de Sacchαro tradit in Excercitationibus Plinianis ad Solinum; Sed an ubivis vel mentem Autorum, vel rei veritatem Vir ſummus ſit aſſecutus, judicent alii: Cum illo olim amicas collationes epiſtolicas circa hanc materiam inſtituit, verùm privatas, Clariſſ. & Excellentiſſ. Vir*, D. Adolphus Vorſtius, *Med. Doct. ac primarius etiamnum in Acad. Lugd. Bat. Profeſſor*,

fessor, Praceptor olim meus, atque ante annos duos & viginti in Facultate Promotor, Fautor & Amicus nunquam sine honoris præfatione mihi nominandus: Eæ si aliquando donarentur luce, procul dubio nostris & hisce adderetur complementum uberius, ac scientiæ Medicæ & Naturali plenius in hac ipsa materia emolumentum. Orientales Scriptores ipsosmet in hac utraque materia consuli necessum duxi: quorum genuinas voces, cùm Typis Arabicis, seu Persicis vel Turcicis, hîc destituamur, Characteribus Latinis, ut licuit commodissimè, imitari necessum habui: quod ipsum ut æqui bonique consulatur, rogo. Vale, Candide Lector, ac fave conatibus nostris.

FRANCISC. VALLESIUS,
De Sacra Philosophia cap. 57.

N*Eque enim hunc* (Dei concursum) *elevo*, *cùm naturales rerum causas investigo*, *sed laudo infinitam ejus sapientiam*, *qui ita omnia disposuit*, *ut etiam quæ sunt portentosissima*, *videantur bonâ ex parte secundùm naturalem rerum ordinem evenisse*.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
MANNA.

DE *Manna* dicturo, Homonomia Vocis ante omnia expedienda. Veteribus Græcis *Manna* dicitur, seu Μάννα λιβάνυ *Manna thuris* Diosc. libr. 1. cap. 83. id quod excussum est à thure circa magna onera confracto; quamvis aliquibus nihil à thure trito & lævigato differre videatur, ut docet Gal. de comp. pharm. secund. loc. libr. 4. cap. 4. Similiter Plinius lib. 12. capit. 14. *Thuris Micas* concussu elisas *Mannam* vocamus: quod dum convehitur evenit, inquit Matthiol. ad Diosc. loc. cit.

2 *Purgamentum Thuris Mannam* vocat Gal. Method. med. libr. 13. cap. 5. eamque levi adstrictione præditam esse aït: *Thus*, inquit, puris tantùm movendi facultatem obtinet, utpote nullam adstringendi facultatem habens; *Manna* verò etiam corticis thuris paululum est admixtum, unde adstringendi vim habet. Atque ita Gal. Meth. Med. libr. 5. cap. 4. Est *Manna* medicamentum, inquit, quod magis quàm Thus adstringit; Thus verò quàm Manna magis emplasticum. Cùm ergo dicit Diosc. cit. loc. *Mannam* vim habere eandem quam Thus, sed aliquanto remissiorem; id nequaquam de adstringendi facultate, sed de emplastica intelligendum est.

3. Est ergò MANNA Galeno quidem nihil aliud, quàm pulvisculus seu pollen Thuris confracti, cui admixtum est nonnihil corticis thuris; hoc est, exiguæ ex magnis glebis thuris micæ, concussu motuque, dum ad nos

ad nos advehitur, elisæ, à thure levigato diversæ, & cum fragmentis quibusdam exiguis corticis thuris permixtæ.

4. Etiamnum inveniuntur guttæ, (Thuris) inquit Plin. cit. loc. quæ tertiam partem minæ, hoc est, xxxix. denariorum pondus æquant. Quod ab hisce majoribus glebis concussu motuque deteritur, dum transferuntur, *Manna thuris* appellatur, sive in pollinem tenuiorem id redactum sit, sive micæ sint grandiusculæ: namque Dioscoridi magis probatur quæ non modò *candida*, *pura*, sed & *granosa* est, cit. loc.

5. Atque ita Thuris substantia olim trifariam divisa fuit, in *Thus* ipsum, *Corticem* thuris, & thuris *Mannam*: de quibus singulis seorsim agit Dioscor. lib. 1. cap. 81. 82. 83. Ac creditur vulgò, (ex ipsa etiam Galeni mente,) *Manna* thuris à thure trito, seu pulvere thuris, hoc ipso duntaxat differre, quòd

Manna thuris ſemper aliquid corticis thuris admixtum habeat; pulvis non item: quamvis id quidem minùs videatur congruere menti Dioſcoridis, qui *puram*, id eſt impermixtam magis probat, ac interim *granoſam*: Eſſe autem, inquit, qui admixtis reſinâ pini cribratâ & polline, aut etiam Thuris contuſi cortice ipſam adulterent.

6. Zacutus Luſitanus de Medicinæ Princ. Hiſtor. libr. 6. cap. 8. per *Thuris Mannam* intelligit *micas* ſeu *grana Thuris*, ex thuriferis arboribus reſudantia, non ſecus ac maſtiche ex maſtichinis, ac myrrha ex myrrhatis: Ut adeò *Manna thuris*, à *Thure* ſimpliciter dicto, credatur differre, tanquam grana thuris ex arboribus thuriferis collecta, à glebis ex iiſdem coagmentatis. (Quod nec ipſum menti Dioſcoridis magis videtur congruere.) Apud Sylvaticum in Pandectis Medicis tertium quoddam genus Thuris (præter Indicum & Arabicum,) refertur, minutum

valde &

valde & rufum, quod *Manna Thuris* vocetur.

7. Alia *Manna* appellatio occurrit in Botanicis, ubi *Graminis Dactylitis semen, Manna* vocatur. De hoc agit Mathiolus in Diosc. com. ad cap. 28. lib. 4. ubi, illam graminis speciem in aliquibus Germaniæ locis seri ac coli audio, inquit, non minori curâ, quàm cætera frugum & leguminum genera. Siquidem ejus semine, quod *Mannam* appellant, inquit, frequenter vescuntur in cibis, quòd in jure pinguium carnium decoctum, non minorem cum palato ineat gratiam, quàm oryza; cui ego facilè præposuerim, inquit: Est enim semen panico milioque longè minus, album, oryzæ modo; sed in pila ipsum quoque tundere oportet, ut à suo resiliat putamine.

8. Denique, *Manna* vulgariter denotat *Mel aëreum*, seu *roscidum Liquorem*, dulcem, qui ex aëre deciduus, sublucanis horis arborum ramis & frondibus,

bus, herbis, lapidibus, ipsique solo, adhærescit: cujus frequens ad alvum leniendam in Medicina usus est. De hoc Manna impræsentiarum disquiremus: Cujus equidem Vires demum traditę sunt à Medicis Arabibus; quamvis nec Galeno, & aliis Antiquoribus; substantia ipsa fuerit incognita: Quo sensu Averroës libr. 5. Collig. cap. 55. *Mannam* refert inter Medicamenta quæ à Galeno tradita non sunt; nempe, ut liquet ibid. opposité ad ea quorum virtutes se exploratas habere Galenus testatur.

9. Utique *Manna* non incognitum fuisse Galeno, liquet ex historia quam recitat ipse libr. 3. de aliment. facultat. cap. 39. *Memini*, inquit, *aliquando, cùm æstate super arborum, ac fruticum, herbarumque folia, mel quàm plurimum fuisset repertum, Agricolas velut ludentes cecinisse, Iupiter melle pluit. Præcesserat autem nox, ut per æstatem, bene frigida, pridieque calida & sicca fuerat aëris temperies.*

peries. Peritis quidem naturæ interpretibus videbatur, halitus è terra & aquis à Solis calore sublatos, & deinde exactè tenuatos, ac coctos, à frigore secutæ noctis concretos coaluisse. Apud nos verò rarò id accidit; in monte autem Libano quotannis persæpe. Itaque coria super terram extendentes; & arbores excutientes, quod ab iis defluit excipiunt, & ollas ac fictilia melle implent, vocantque id Drosomeli & Aëromeli, id est, mel roscidum & aëreum.

10. Hujusce mellis aërei itidem meminit Plinius libr. 11. capit. 12. Ubi, *Venit mel ex aëre*, inquit, *præcipuèque ipso Sirio explendescente fit, nec omnino priùs Vergiliarum exortu, sublucanis temporibus: Itaque tum primâ aurorâ folia arborum melle roscida inveniuntur; ac si qui matutino sub dio fuêre, unctas liquore vestes, capillumque concretum sentiunt.* Hinc & Poëta *roscida mella* canit. Quin &, ante Galenum ac Plinium dudum cognitum fuisse *Manna*, (quamvis id minùs placeat Johan. Monardo Epist. 4. libr. 1.)

libr. 1.) liquet exinde quòd Hesiodi autoritate illius meminerit Theophrastus libr. 3. cap. 9. de Plant. Histor. his verbis: *Sin autem autore Hesiodo mella apesque quercus ferant, &c.*

11. Similiter Amytam, Græcum Autorem, citat Langius libr. 1. Epist. Medic. 64. qui longo ante Galenum temporis intervallo *Mannam* sub aërii mellis nomine exactè describat libr. 1. de Asiæ ponderibus. Sic enim Græcum Autorem (quem ex Athenæi libr. x1. citat Illustris Salmas. Exerc. Plinianis in Solinum,) interpretatur Langius: *Mel aërium cum foliis decerpentes, inque Massas Syriacas, aut in globulos effingentes, seponunt: quumque eo uti voluerint, fracta de globulis fragmenta in vasis ligneis dissolvunt, & colatum ebibunt, melle ipso suavius.* Et sanè, si verum est quod aït Mesues de Simpl. cap. 8. *Galenum Mannam miscuisse Scammoneo*, ad expurgandam bilem, (quod tamen in Galeni scriptis, quæ habemus, non occurrit;)

rit;) utique non modò ipsum Manna cognitum habuit, sed & ejusdem vires. Saltem è Græcis Actuarius, libr. de Comp. Med. cap. de Myrobal. *Manna* meminit, non pro *mica thuris*, velut Græci Veteres, sed pro medicamento solutivo; utpote quod aït bilem flavam pellere, majori quantitate sumendum quàm Cassia.

12. Sed ut ex mente Arabum exactiùs in Medicamenti istoc genus inquiramus: Tria distincta vocabula occurrunt apud Arabes passim, rerum planè consimilium, scil. *Man* seu *Manna*, *Terengjubîn* (pro quo barbari Interpretes *Tereniabin* & *Tereggubim* exprimunt,) & denique *Schîr-choscht*, (pro quo apud Barbaros passim legitur *Siracost* vel *Xiracost*, itemque *Xirquest*.) Diversis autem Capitibus agit Avicen. de *Man* seu *Manna*, & de *Terengjubîn*, seu *Tereniabin*, libr. 2. Can. Ac Capite quidem de *Manna* disertè inter tria prædicta distinguit, addit-

que

que ibidem quartum iisdem consimile, scil. *Mel de montibus Kosrân*.

13. Similiter Serapio *Tereniabin* describit cap. 11. Simpl. Medic. *Mannam* verò tradit cap. 45. Ut alios prætercam. Atque ita quoque apud Avic. libr. 3. Can. Fen. 1. tract. 2. capit. 11. inter *Tereng jubîn* (quam istic Interpres *Mannam* vertit,) & *Schîrchoscht* (quam Interpres vertit *succum fructuum*,) distinguitur; quamvis velut res consimiles, ac consimilium facultatum, ibidem tradantur. Similiter ibid. cap. 30. ad laxandam alvum commendatur *Schîrchoscht* cum sena ad drachmas quinque.

14. Equidem *Tereng jubîn* passim *Manna* vertitur, ut dictum; verùm Sylvaticus Pandect. Medic. cap. 667. de *Tereniabin*, *quidam dicunt quòd est Manna*, inquit, *sed falsò*: Putat autem ipse esse *mel album*, *habens saporem Mannæ*. *Siracost* idem interpretatur capit. 613. *Mannam*, vel *succum fructuum*. Certè ex Arabum Interpretibus, qui hactenus operam

operam suam Versionibus, vel Castigationibus Interpretum, impenderunt, nihil certi quoad discrimen trium prædictorum invenimus.

15. Sunt equidem *Terengjubîn* & *Schîrchoschtt* vocabula Persica, ab Arabibus in suum usum assumpta: Ac illud quidem propriè à Persis pronunciatur *Terenkubîn* in Lexico Persico, ac *Mannam* denotare innuitur à Paraphraste Turca, vel *Mel Basrense*. *Enkubîn* utique Persis *Mel* significat; *Ter* verò *recens*. *Schîr-choscht* propriè Persis pronunciatur ac scribitur per K. in fine, *Schîr-choschk*, (quamvis etiam scribatur per t.) q. d. *Lac aridum*, seu *succum* (*dulcem*) *aridum*. *Schîr* enim (quod *Schêr* potiùs pronunciatur) propriè *Lac* Persis significat; sed & pro quavis *lachryma* accipitur, vel *succo* per macerationem, vel exsudationem collecto, scil. sine coctione: sic *Tabaschîr*, quod passim Interpretibus perperam *Spodium* vertitur, quem errorem rectè

rectè ex Garcia ab Horto & Christ. à Costa notarunt alii quoque) dicitur esse succus qui in cavitate arundinis Indicæ reperitur, teste Ibn Beitare; qui à Garcia vocatur *Sacar Mambu*: (Sed de hoc dicemus in Dissertatione de Sacchmaro:) Ita Numer. 6. ꝟ. 3. in Persico M. S. nostro Exemplari legitur *Schîr-Ankûr*, pro eo quod in text. Hebr. dicitur משרת ענבים hoc est *madefactio uvarum*: In Arabico textu est נקיע *Nakijang*, quod vertitur à Clariss. D. Golio in Lexico Arab. *Quicquid maceratur de fructuum siccorum genere*, & *vinum ex maceratis uvis passis paratum, sine coctione*: *Choschk* autem vel *Chuschk*, *aridum*, *siccum*, notat, (ut Numer. 11. ꝟ. 6.) Atque ita Ibn Beitar alicubi *Choschk-enkubîn*, vocat *mel siccum* seu *aridum*, quod ex Persia affertur, simplici melle calidius & siccius. Videtur ergo *Schîr-chost* denotare *succum ex plantis promanantem*, aut quomodocunque collectum, *induratum*, & quasi *exiccatum*

tum ſeu *concretum*: quâ quidem vocabuli explicatione quamvis ſubſtantia rei ſeu conſiſtentia utcunque declaretur, ipſa tamen genuina origo nondum definitur, de qua in progreſſu. Ineptam ac planè commentitiam vocabuli *Siracoſt* interpretationem, quam Zacutus Luſitanus libr. 6. de Hiſtor. Med. Princ. Hiſt. 8. confingit, lubens prætereo. Perperam quoque Illuſtris Salmaſius in Solinum, derivat Perſicum *Xirqueſt* (ſic Barbari ſæpe pronunciant) ἀπὸ τῶ ξηρίου Græcorum: omnia quippe Gummi genera Græcis ξηρία dicuntur, inquit, (quaſi medicamenta arida;) Solent utique Barbari Arabum Interpretes Literam Arabum vel Perſarum *Schin*, quæ valet *Sch*, vel *Sj*, exprimere per x, quam Salmaſius pro Græcorum ξ ſubſtitutam, malè exiſtimat.

16. Congruit prædictæ noſtræ explicationi quodammodò id quod tradit Garcias ab Horto, Pro-regis In-

diæ

diæ Medicus, Arom. & ſimp. Medic. Hiſtor. libr. 1. cap. 11. *Ejus* (Mannæ) *tria agnoſcimus hîc* (in India) *genera, ex Provincia Vzbeque deportata. Primum genus* inquit, (quod diximus Perſis *Schîr-choſcht*, vel propriè *Schîr-choſchk* appellari,) *utribus conſervatum, ſapore favi mellis, Xirqueſt* aut *Xircaſt vocatur, id eſt, Lac ex arbore Queſt*, (ubi in pronuntiatione & in ſignificatione eſt hallucinatus:) Rectè quidem, *Xîr*, inquit, *Linguâ Perſicâ Lac ſonat; nos corrupto nomine Siracoſt nuncupamus. Eſt autem Ros quidam*, inquit, *in eas arbores delabens*, aut *gummi ex iis deſtillans*.

17. Quod ſi hoc *primum genus* Garciæ verè *lachryma* quædam alicujus arboris habenda ſit, ſeu *Succus* exſudans, ac non potiùs *Ros* ex aëre decidens, procul dubio erit *Elæomeli* de quo Dioſcor. libr. 1. cap. 37. I*n Palmyremo Syriæ tractu*, inquit, *quod Elæomeli vocant, ex quodam caudice manat, oleum craſſius melle, ſapore dulci; Id cyathis duobus bi-*

bus bibitum, cum una aquæ hemina, crudum biliosumque humorem alvo detrahit, inquit; (quod utique in Mannam similiter congruit.) Plinius libr. 15. cap. 37. *Sponte nascitur in Syriæ maritimis* (κατὰ δ' ἁλμυρὰ, velut itidem legit Cornar. pro eo quod legitur apud Diosc. κατὰ παλμυρὰ,) *quod Elæomeli vocant: Manat ex arboribus pingue, crassius melle, resinâ tenuius, sapore dulci.* Quid verò mirum talem lachrymam adeò inspissari, seu pingue illud melle crassius dici? cùm vinum Arcadium utribus inditum fumo adeò assiccari soleat, ut non nisi derasum bibatur, teste Arist. libr. 4. Meteor. cap. 10. Interim Hermolaï Barbari Judicium probo, quo putat *Elæomeli* Dioscoridis idem esse quod nostrum *Aëromeli* seu *Mel Aërium.* Ut adeò & ipse Dioscorides pridem & *Mannam*, & ejus *usum in Medicina*, cognoverit; quamvis *generationis rationem* non habuerit exploratam; de qua videbimus inferiùs.

 18. *Alte-*

18. *Alterum Genus* Mannæ refert Garcias, dictum *Tiriamiabim* ut aït, seu *Trungibim*, *ut vertit Bellunensis*, inquit, (verùm corruptè pro *Terengjubîn*,) *in carduis nasci ferunt*, inquit, *granis quàm Coriandrum majoribus*, *colore inter rufum & rubentem* (fortè legendum *candicantem*) *medio*, *quæ ex tribulis decutiuntur. Vulgus plantæ fructum esse putavit; sed gummi aut resinam esse rescitum est.*

19. Si conferamus Serapionem de simpl. Medic. cap. 11. fortasse lucem pleniorem Garciæ fœnerabimur: Sic autem refert Serapio ex Isaac Ibn Amram. *Tereniabin*, inquit ejus Interpres, *est ros cadens de cœlo*, *assimilatur melli granuloso aggregato*: *& est nominatum mel roris. Plurimum quod de ipso cadit est super arbores*, *quæ sunt in terra Chorasenì in Oriente*, *quæ arbores habent folia similia* (videtur hîc vocula deesse, fortè *similia Ericæ*, ut liquebit ex progressu,) *& spinas* inquit *virides*, *& flores rubeos*, *& non*

& non faciunt fructum: & cadit in castella super summitates palmorum, &c. *Et plurimum quod de ipso cadit est super spinas supradictas.*

20. Pro *spinis* hisce, seu *pinosis arboribus* aut *fruticibus* (*nam Schegjar* & *arborem* & *fruticem denotat*, *quin imò*, *omnem plantam*, *quæ truncum vel caulem habet*,) accepit Garcias *carduos* & *tribulos*, ex dubio aliorum relatu: Ex iis verò granula roris concreta decutiuntur, referente Garciâ, non secus atque ex Galeno intelleximus superiùs, in Libano monte mel roscidum colligi, stratis coriis, & excussis arboribus, ut quod ab iis defluit excipiatur. Vocatur verò *Terenkubîn* q. d. *recens mel*, hoc est granulatum adhuc, seu nondum in glebas compactum, aut recenter ex aëre delapsum, non priùs ab apibus collectum, unde & *aërium mel* rectè vocari potest.

21. Quod autem in nonnullis arboribus seu plantis in granula concre-

ſcat potiùs, quàm ſuper alias decidens, id utique mirum videri non debet; cùm etiam Serapio ſimpl. Med. cap. 45. itemque Meſue libr. de Simpl. cap. 8. & Avicen. libr. 2. Can. cap. de Manna, dicant *Mannam* virtutem aſſumere ſecundùm diverſitatem arborum ſuper quas cadit: atqui non eſt eadem omnium arborum aut plantarum habitudo in primis & ſecundis qualitatibus, unde nec æquè facilè condenſatur in omnibus. Atque ita docet Matthiolus, in Dioſc. libr. 1. cap. 73. nonnullas arborum ſpecies *Mannam retinere, denſare, ac cohibere*; ex aliis verò arboribus eandem ſtatim, *liquidi mellis inſtar, defluere. Mannam utriuſque conſiſtentiæ à cœlo demiſſam vidimus in Comitatu Coritienſi*, inquit Matthiol. cit. loc. *univerſoque Forojulienſi agro, ac circumvicinis locis, Anno à Chriſto nato* M. D. XLVI. *Majo & Iunio menſibus: fuitque mihi ambarum colligendarum ampliſſima facultas. Equidem ea, quæ ſici, fraxini, & orneogloſſi*

glossi frondibus inhæserat, gummi modo concreverat, colore candida: At quæ super Amygdalo, Persicæ & quercus folia deciderat, mellis modo liquescens ab arbore defluebat, flavo calore. Quo factum est, ut facilè crediderim quòd non sui ipsius facultate gummi modo Manna concrescat, sed foliorum, in quibus delapsa recumbit.

22. Sed audiamus Avicennam, qui difficultatem hîc nobis pleniùs expediet: Is verò libr. 2. Canon. cap. de *Terengjubîn* (seu ut Interpres exprimit *Tereniabin*,) dicit quòd sit *Ros*, *qui plurimùm cadit in regione Chorasân* (id est in Parthia,) *& locis ultra fluvium* (*Ma Warà an-nahr*, *id est*, *id quod est ultra fluvium*, sic vocatur *regio ultra Oxum*,) *& plurimùm casus ejus in regione nostra*, inquit, *contingit super Al-Hhâgj*: ubi perperam Interpres vertit *super lapides* Est enim *Al-Hhâgjo* (pro quo Interpres legisse videtur *Al-Hhagjer*,) teste Ibn Beitare, *planta* quædam *spinosa*,

 asparagi

aſparagi ſylveſtris inſtar, quæ Syris & Ægyptiis *Aâkoul*, dicitur: quamvis in Contin. Rhaſis occurrat pro *Chalengj*, quod Perſis *Ericam* denotat: *Erica* tamen reverà non eſt, nec aliqua ejus ſpecies, teſte eodem Ibn Beitare. Foliorum hujus *Al-Hhâgji* ſuccus expreſſus, pro ſingulari caput-purgio commendatur apud Avicennam lib. 3. fen. 1. tract. 2. cap. 14. ubi rurſum Interpres perperam vertit *expreſſionem foliorum Enulæ*. Neutiquam interim cum *Hhaſcha* Avicennæ, quæ *Thymum* denotat, confundi debet. Hæc ergo illa *planta ſpinoſa* eſt, quam pro *Carduo* vel *Tribulo* accepit Garcias ab Horto ex aliorum relatu: Cujus utique vel gummi vel reſina *Terengjubîn* nequaquam eſt, (cùm ne quidem planta gummoſa vel reſinoſa eſſe videatur;) ſed ſuper quam maximè *roris* inſtar decidit. In quo utique fides habenda Avicennæ, qui hoc frequenter in ſua regione fieri teſtatur.

23. *Ter-*

23. *Tertium genus* Mannæ, commemoratum à Garcia, *magnis glebis advehitur*, inquit, *admistis plerumque foliis. Calabrinæ persimilis est hæc Manna*, inquit, *plurisque æstimatur: defertur autem ex Bazorà urbe Persica admodùm celebri.*

24. Hoc *Tertium genus* Garciæ est *Man* seu *Manna*, propriè hoc nomine dicta Avicennæ, aliisque Arabibus: De qua Avicen. libr. 2. Canon. cap. de *Man*, ita habet: *Man cadit super lapidem vel arborem, & est dulcis, & coagulatur in modum mellis, atque siccatur in siccitatem Al-madsmougi*, (id est, *ejus quod gummi vel resinæ in modum coagulatum est*, *Dsamg* enim communiter & *gummi* & *resinam* significat,) *veluti Terengjubîn* inquit, *& Schir-choscht*, *& mel asportatum ex montibus Kosrân in deserto*, (*mel de terra Cusuram* habet Interpres.)

25. Ejusmodi verò *Mel Kosrense*, cui hîc *Mannam* assimilari ait Avicen. est

quaſi *Quartum genus Mannæ*: de quo Garcias ab Horto diſſerit porrò in hunc modum: *Advehitur interdum Goam in utribus aliud genus* Mannæ, *ex Ormuz Emporio, melli candido depurato perſimile: ſed facilè corrumpitur in hac regione, propterea quòd vitreis lagenis non aſſervetur.*

26. De *Melle* equidem capite peculiari, dicto libr. 2. Canon. aït Avicenna, quòd ſit *Ros occultus, cadens ſuper flores arborum, & ſuper reliqua, quem colligunt apes; eſtque vapor,* inquit, *qui elevatur, & concoquitur in aëre, ac tranſmutatur, atque inſpiſſatur de nocte, ac mellis inſtar decidit: Quandoque etiam cadit mel veluti quod eſt in montibus Koſrân;* (quod quaſi quartum genus Mannæ diximus:) *Diverſitatem verò habet pro ratione ejus ſuper quod cadit, ſive arbor, ſive lapis ſit: Quodque maximè ex illo manifeſtum eſt, id colligunt homines,* (eſtque ipſum Manna;) *quod verò occultum, id colligunt apes: puto autem,* inquit, *quòd labor apum in eo habeat ali-*

quam

quam impressionem. Ex quibus liquet, *Mellis* ac *Mannæ* materiam secundùm Avicennam unam eandemque esse; atque hoc inter utrumque intercedere discriminis, quòd *Mellis* tenuior sit, magisque fugiat oculos, materia *Mannæ* spissior vel crassior sit, ac magis in oculos incurrat; quòdque *Mel* colligatur ab apibus, atque ita hisce peculiari modo elaboretur, *Manna* ab hominibus colligatur. Sed de *Mannæ* ac *Mellis materia* pleniùs disquiremus inferiùs.

27. Liquet verò ex prædictis, *Mannæ species diversas*, nequaquam essentiali discrimine inter sese differre; nisi in quantum pro ratione ejus in quód decidunt, virtutem passim aliquam peculiarem adsciscunt: Est enim *Schirchoscht* sive *Xiracost* Manna compacta, ac succi inspissati instar in utres coagmentata, quæ ex liquido in iisdem coaluisse videtur; *Terengjubîn* seu *Tereniabin* est Manna granosa collecta, seu ex granis, seminis coriandri ideam

referentibus quodammodò, congesta; *Manna* propriè dicta, est Manna ex particulis minusculis, cujuscunque mamagnitudinis & figuræ, in glebas majores coagmentata, immixtis etiam passim foliolis, aliisve rebus, quibus dum colligeretur adhærescebat.

28. Ut ergo *Manna* est mel roscidum; ita *Mel* ipsum Manna videtur, apum labore in unum liquorem congesta atque elaborata: Quatenus verò *Mel* sensim inspissatur atque exiccatur, ita apprimè *τὸ Schir-choscht* repræsentare videtur. Cùmque *Terengjubin*, & *Manna* propriè dicta, nonnisi particularum magnitudine & figurâ, adeòque congestionis modo differant, promiscuè quandoque, etiam apud ipsos Arabes, pro uno eodemque sumuntur: Atque ita Rhazes ad Almansorem libr. 3. capit. 20. inter simplicia medicamenta solius *Terengjubin* mentionem fabit, neglectâ *Mannâ*; velut item *Averroës* Collig. libr. 5. cap. 55. inter ea medi-

ea medicamenta quorum vires Galeno incognitas fuisse aït, solum *Tereggubim*, ideſt *Terengjubîn*, nominat, quam dicit esse ex speciebus antiquæ Mannæ, quæ ex partibus superioribus Syriæ & Indiæ affertur; Serapio verò de Simplic. cap. 11. dicit *Tereniabin* esse Mannam, quæ cadit ex aëre ſicut cadit Manna.

29. Nihil hîc addam de *adulterina Mannæ ſpecie*, cujus meminit Chriſtoph. à Coſta libr. Arom. & Medic. cap. de Manna, quam in Ormuz venalem conſpici aït, atque in varias Indiæ Provincias deferri; conſtare autem glebis paulò majoribus quàm Calabrina, neque ita candicare: interim vehementer purgare, ac minoris pretii esse præ reliquis generibus. Compoſitionem ejus ſe didicisse aït à quodam Brachmane talem: *Amylum candidum & puriſſimum, Mannam cujuſque generis, ſed præſertim quæ Calabrinam æmulatur, Scammoneam, & ſeminis genus Viſa dictum*,

ctum, quod ex Bengala advehitur, quod Lathiridis grano simile est, (injecto interdum polline radicis cujusdam candidæ lacticinæ, cui nomen Dante,) cùm sacharo, pauxillaque aliqua oderata aqua permiscebat, solique exponebat.

30. *Adulterari* item *saccharo* & *foliis Senæ*, inquit Mesue de Simpl. part. 1. cap. 8. sed hæc, inquit, dum mollescit & liquescit, dolum prodit: adeòque ore volutâ, donec liquescat proditur dolus, monente Lev. Lemnio Hebr. Biblic. Explicat. cap. 4. Aliud *adulterinæ genus* describit Lemn. cit. loc. in hunc modum: Colligunt nonnulli, inquit, circa alvearia, illaque loca in quibus apes mellificant, ac faveum confingunt, excrementa quædam flavescente colore, sapore melleo, quæ nonnulli existimant ex aëreo concretu coaluisse; quum nihil aliud sint, quàm excrementitius liquor & saliva, quæ à vespis, fucis, & culicibus prodiit.

31. Ap-

31. Apparet autem ex prædictis, hallucinatum esse Brassavolum, atque post hunc Costæum in Annot. ad dictum Caput Mesuæ, dum putant *Tereniabin*, idest *Terengjubîn*, esse *mel aëreum liquidum*, seu *non condensatum*; *Mannam* verò idem esse *aëreum mel in gummi*, *ac veluti grana quædam conglobatum*. Certè tres prædictæ Mannæ species omnes condensatæ traduntur ab Arabibus, nulla *liquida*: ita superiùs §. 24. ex Avicenna retulimus, *Mannam*, propriè ita dictam, *coagulari in modum mellis*, *atque siccari in siccitatem rei quæ in gummi vel resinæ spissitudinem abiit*, *sicut Terengjubîn*, inquit, *& Schir-choscht*: *Manna* itaque, *Terengjubîn*, & *Schirchoscht*, quoad consistentiam, seu ratione liquiditatis & spissitudinis, nequaquam distinguuntur, cùm nulla species describatur liquida; sed omnes instar gummi, seu instar succi inspissati, coagulatæ.

32. Modus quidem consistentiæ, seu spissitudinis, diversus est; dum *Schir-choscht* consistentiam seu spissitudinem æquabilem habet, instar mellis duriusculi; *Terengjubîn* spissitudinem granulosam; *Manna* propriè dicta inordinatam magis atque inæquabilem, intereaque in glebas compactam. Frustra autem vocum quarundam transpositionem in textu Avicennæ molitur Costæus, quò ita in suum sensum torqueat Interpretem, ac soli *Mannæ* spissitudinem asserat; quamvis ne sic quidem quoad ipsum *Schîrchost* se expediat, ut mox patebit: Certè transpositionem textus ipse genuinus Avicennæ non admittit. Et quòd tres prædictæ species ipsius Mannæ omnes *coagulatæ* sint, nulla *liquida*, ex iis quoque manifestum esse potest, quæ ex Garcia ab Horto allegavimus.

33. Interim non negamus *Mannam* quoque liquidam existere, si quando nondum in naturalem suam consisten-

tiam

tiam condensata est, velut mel quoque initio, cùm primùm in cellulas est delatum ab apibus, instar aquæ dilutum existit, docente Arist.) vel quando à causa quacunque soluta est, seu coagulatio ipsa impedita; vel cùm fortè est crudior, seu minùs in aëre excocta, & quasi nondum ad perfectam maturitatem redacta: Ita *Mannæ liquidæ* superiùs §. 21. mentionem ex observatione Matthioli fecimus; diximusque non super omnibus plantis ex æquo condensari, sed super nonnullis mellis instar diffluere: Tale item fuit *mel* illud *aëreum non condensatum*; quod Costæus se aliquando vidisse refert in Laudæ patriæ suæ agro, quod æstare calidissimâ, serenis noctibus, supra arbores & plantas universim omnes tam copiosè decidisse aït, ut à rusticis collectum ad Pharmacopæos sit delatum in Medicinæ usum: Tale etiam fuit, de quo Brassavolus, Pharmacopolam quendam (Ferrariæ, videtur,) emisse à quo-

à quodam Mauritano vas plenum cujuſdam Mannæ melli ſimilis, quæ in Medicamentis non ſatis laudari potuit.

34. Verùm, quando medicamenta deſcribunt Autores, ordinariè quidem deſcribunt ea prout naturaliter ſe habent, vel habere debent; non prout per accidens quomodocunque ſunt conſtituta: adeòque *Mannam* tradunt *condenſatam*, non *liquidam*. Alioqui ſanè ipſum quoque *Schîrchoſcht*, antequam in eam ſpiſſitudinem abit, quam tandem utribus aliquandiu contentum obtinet, liquidius procul dubio eſt, ac mellis fortè conſiſtentiam habet, vel etiam melle liquidiorem: (quæ cauſa eſt cur in utres recondatur:) ut ſanè potiori jure pro *liquida Manna* haberi mereretur, quàm *Tereniabin*. Sed quid de *Schirchoſcht* Braſſavolus & Coſtæus? aut quomodo circa hanc ſpeciem ex Avicenna ſe expedient? ſiquidem, ſecundùm ipſos, reliquæ duæ ſpecies & *liquidam* & *ſpiſſam* conſiſtentiam

tiam absorbent; quid ergo inter hanc speciem & reliquas duas erit discriminis?

35. De *Siracost*, inquit Costæus, & *Melle Cusuram*, quid certi dicamus planè non habemus: (nempe, quia in prioribus lapsi sunt, confusione obortâ in reliquo se expedire nequeunt.) Putamus tamen, inquit, *Mel ex Censuram*, *Tereniabin* ipsum esse, quod ex Cusuram regione affertur. Atqui Avicen. disertè *Mel* illud *Kosotân* à tribus Mannæ generibus distinguit: Ac vero simile potiùs est, mel illud Mannæ assimilari, quòd spissitudinem habeat *Siracost*; differre interim ab eodem, quod secus atque id ipsum, non ab hominibus, sed ab apibus sit congestum: à *Tereniabin* autem planè consistentiæ modo differre, cùm *Tereniabin* sit *Manna granulata*, Mel autem *consistentiam æquabilem obtineat*. Prædicti mellis conditionem fortasse declarat id quod habet Scal. Exercit. 191. s. 1. In Tro-

In Troglodytæ parte, quæ dicitur Belgada, mel candidum adeò, ut ne nivibus quidem cedat; durum verò, quasi lapis: Solidum etiam in Calicut, ita ut in sportis contineatur.

36. Similiter hallucinatus est Andr. Bellunensis, vir sanè diligens, at qui tamen in castigationibus suis ad Gerhard. Cremonensis versionem, non rarò ipse vel castigatione, vel explicatione opus habet,) dum in sua Arabicarum vocum Interpretatione *Siracost* dicit esse *Mannam quâ utuntur Itali.* Si enim per *Mannam quâ utuntur Itali*, simpliciter intelligat *concretam*, seu *mel aëreum conglobatum, non liquidum*, (ut Costæus ejus mentem accipit ac probat,) utique *Siracost* à reliquis Mannæ speciebus non distinguit, quas omnes *concretas* haberi Arabibus, ex prædictis liquet. Si fortè per *Siracost* intelligat *Mannam in glebas concretam*, qualis *Calabrina* esse solet, falsum dicit; cùm *Siracost* potiùs sit *instar mellis inspissati*,

ut patet

ut patet ex antecedentibus. Cæterùm *Italica Manna* non eſt uniuſmodi, ut patebit in progreſſu.

37. Miſſâ itaque *Mannâ liquidâ*, cujus nullibi apud Arabes facta mentio, quòd nempe hæc ipſa ſit *concreta* materia, ſeu potentiâ *concreta* ſit; ſeu quod ex illa concreſcat naturaliter ea quæ *Sjîrchoſcht* vocatur: (quamvis fortè non omnibus locis eandem ſpiſſitudinem conſequatur, velut & mel;) *Sicca* quidem, ſeu *arida*, aut *concreta* potiùs, imprimis juxta Autores gemina ſtatuitur: *Orientalis*, & *Europæa*, (quamvis nec deſit *Americana & Africana.*)

38. *Orientalis*, ſeu ejus quæ ex Oriente petitur, duplex ſpecies ſtatuitur Matthiolo: Prior *Maſtichina*, quæ & *Granata* appellatur, nomine à Granorum maſtiches ſimilitudine ſumpto: hæc præſtantior cenſetur: Eſtque verè ipſum *Terengjubîn* Perſarum vel Arabum: Altera *Bombycina*, quæ vilior

vilior exiſtit: eſtque hæc vel *Manna* propriè dicta, ſcil. in glebas compacta, floccorum lanæ & bombycis effigiem cohærentibus guttulis referens, ut nonnulli volunt; vel fortè ſic dicta, quòd lanâ mundâ vel bombyce ſubjectâ arboribus, excipiatur ac colligatur, ut patet ex Andernach, in dial. 5. com. 2. Vel ſæpenumerò nihil aliud eſt, quàm aut evanida & ſenio exhauſta maſtichina; aut ſaccharo aliiſque impoſturis adulterata, quæ bombyce involuta, (quò ex Oriente allata certiùs credatur,) ab Impoſtoribus divenditur.

39. *Europæa* varia eſt, primò prout variis in regionibus provenit: Non enim in Italia duntaxat reperitur; (ubi quidem maximus ejus quotannis proventus, præſertim in Calabria;) ſed & Hiſpaniæ quibuſdam in locis gignitur raris annis, teſte Valleſ. Philoſ. Sacræ cap. 57. Exemi ego aliquando vulgare hoc *Manna* genus, aut *roſcidum mel*,

mel, inquit Lev. Lemn. Herb. Bibl. Explic. capit. 3. ex plantarum foliis, quum anteculanis horis Academiæ Lovaniensis pomœria egressus, perquirendis herbis essem occupatus, desinente potissimùm verè, aëre tranquillo & placido, nullisque ventis incitato. Ex *Europæo* genere interim *Italica* & præstantissima & frequentissima est.

40. *Duplicem* imprimis *Italia* profert *Mannam*, teste Costæo ad Mesuen: *Brigantinam*, quæ ex Brigantio Galliæ Transalpinæ oppido affertur, videturque ex Junipero & Pino colligi; Et *Calabrinam*, quæ denuò triplex: Optima habetur *frondea*, seu *de fronde* dicta, quæ & *foliorum Manna* cognominatur, ex Fraxini & Orni frondibus collecta, (quæ *Brigantinæ* similis est,) minutis granulis constans, translucida, candida, gravis, mastiches granis similis, gustu dulcis ac suavis; Similitudinem hæc habet cùm Arabum *Terengjubîn*:

gjubîn: Secundas partes vulgò tenet, quæ ramis atque arborum caudicibus insidet, *arborea* inde ac *truncea* appellata; tertias verò quæ herbis, lapidibus, & solo inhæret: itaque hæc *grossa* nominatur, quòd particulis constent crassioribus, sitque colore minùs syncero: in glebas verò compacta utraque, *Mannæ* propriè dictæ appellationem sortitur. *Arborea* rursum gemina traditur: vel enim *sponte* dicitur promanare; vel è vulnerata arbore promanare, quæ *forzata* nuncupatur. Sed de Ortu & præstantia pluribus dicetur inferiùs.

41. Ex *Calabriensi* in genere ea præstantissima consetur, quæ ex Oenotriæ quodam loco, in quem singulis æstatibus descendit, & ab omnibus excerpitur, defertur, docente Ant. Musa Brassavol. in Examin. Simplic. Notatu verò dignum est, quod refert Brassavol. in Examin. Succ. concret. Narrasse sibi Sereniss. Isabellam Reginam,

ginam, Frederici Neapolitani Regis conjugem, hunc locum à Regibus Neapolitanis olim occlusum fuisse, ne quis sine vectigali assumeret; Occluso loco desiisse Mannam, nec descendisse: Eo recluso, & vectigali remoto, iterum descendere cæpisse: Sed rursum clauso & recluso, & postea clauso cessasse: ita ut Regis postea liberum locum reliquerint, & omnibus colligere permiserint: (conf. Jonston. Admir. meteor. cap. 10.) Idem scribitur de Tragasæo Sale in Epiro, cui cùm vectigal injunxisset Lysimachus, evanuit; mox dempto, succrevit. Cæl. Rhodig. libr. 9. cap. 12.

42. Circa *materiam Mannæ*, ejusque *rationem ortus* seu *genesin*, dubium est. Illam nos quidem statuimus halitum terrestrem, tenui vapori aqueo commixtum, calore Solis diurno sublevatum, ac contemperatum, tranquillo itidem calidoque aëre coalitui implicito excoctum atque elaboratum, ac sub-

ſubſequentis noctis frigore condenſatum concretumque, ut gravitate ſuâ decidens ſubjectis rebus adhæreſcat: ſicque verè *ex Rore* quodam gigni *Mannam* aſſerimus. An verò & alia inſuper ſit *materia* aliàque diverſa *ratio ortus*, in progreſſu diſquiremus.

43. Quòd ſaltem *Mannæ materia* ſit ea quam diximus; ac *ratio ortus*, ut diximus, ſe habeat, hinc colligi poteſt; tum, quòd non niſi æſtivo tempore, ubi calor diurnus ferventiſſimus eſt, & noctes ſequentes frigidiores, Manna reperiatur; tum quòd non niſi iis in locis proveniat, ubi Solis æſtus intenſior eſt: quamvis etiam peculiarem terræ, locorum, & aquarum, conditionem conſpirare rationi ſit conſentaneum.

44. Quamvis enim id omne, quod ex hoc inferiori globo, Solis actione, in ſuperiorem regionem exhalat, *fumi* ſeu *halitus* & *vaporis* nomine indigitetur ab Ariſt. 1. meteor. cap. 7. *Halitus* tamen

tamen illi & *vapores*, cùm mixta sint corpuscula, (nequaquam pura terra vel aqua,) qualitates mixtorum, unde educta sunt, participant, sapores, materiæ modum, virtutes, &c. In quibus ergo regionibus terra, atque ea quæ ex terra succrescunt, ita sunt disposita, ut ex iis copiosi halitus dulces, oleosi, ad naturam Mannæ vergentes, elici queant, calore solis ferventiore accedente, qui eos sufficienter eliciat & extollat, aëreque ipso convenientem dispositionem obtinente, ut commodè digeratur materia, elaboretur, coquatur, tandemque noctis frigore condensetur, ac roris instar decidat, ibidem major copia Mannæ producitur.

45. Quin &, prout ille *halitus* vel magis tenuium, vel magis crassarum partium est, sive ratione materiæ ipsius, sive ob intensionem aut defectum æstus solaris, materiam elicientis atque evehentis, ita magis generandæ *Mannæ*,

vel producendo *Melli* aptus est: Hinc in Lithuania, Livonia, vicinisque locis, magnus quidem *Mellis* proventus est, at *Mannæ* non item. Similiter non idem anni tempus æquè utrique aptum: Ver namque & Autumnus magis *Melli* conficiendo inserviunt; æstas magis *Mannæ*.

46. Sed dictæ sententiæ refragatur Costæus, Annot. ad Mesuen, existimans, unâ exceptâ Orientali Mannâ, nullam ex rore genitam ad nos afferri; Ac Donatus Altimarus libell. de viribus & different. Mannæ, non modò ex rore generari Mannam censet; sed ex plantis quoque eam promanare, quin &, vulgatæ Mannæ speciem nullam ex rore procreari, neque Calabram, neque Brigantinam; sed gummi, seu succum potiùs quendam esse, ex quarundam arborum frondibus, ramis, & caudice resudantem, in Calabria quidem & Apulia Fraxini & Orni, in Brigantio Juniperi & Pinus: de Quer-

de Quercubus annoſis in Calabria, & ficubus, idem alii aſſerunt. Si apud Brigantinos, inquit Zacutus Luſitanus, ex Altimari perſuaſione, aut in Neapolitano regno, has arbores cultro indicas, ſuccus aliarum lachrymarum more diſtillabit: Denique ſicut thuris Manna, inquit, ex thuriferis arboribus, non ſecus ac maſtiche ex maſtichinis, & myrrha ex myrrhatis, per poros arborum, à quibus progignitur reſudat, ſic in Libano, & dictis regionibus præcipuè, coaleſcit Manna gummi modo.

47. Secutus fuit in hac opinione Donatus Manachos illos, qui in Meſuen Commentarios ſcripſêre, teſte Matthiol. in Dioſc. libr. 1. cap. 73. Hoſce namque pro certo aſſerere ait, Sirio ardente Mannam non ſolùm Roris modò ſuper arborum & herbarum folia reperiri, aëris & cœli clementiâ; ſed etiam ab arboribus, Fraxino ſcilicet & Orneogloſſo, abſque aliquo cœli rore,

gummi in modum, inciso earum cortice, in lachrymas concrescere. Quam quidem Monachorum sententiam non admittendam, sed potiùs explodendam censet Matthiolus, ut à rei natura, tum à ratione & à veritate abhorrentem.

48. Quippe, non modò ipsemet Matthiolus vidit ac collegit, in Comitatu Goritiensi, Mannam super varias arbores è cœlo demissam, tum liquidam tum spissam, (qualis etiam ceciderat in agro Forojuliensi ac circumvicinis locis,) ut in præcedentibus citavimus; sed eandem quoque in agro Tridentino, in Ananiensibus montibus, cecidisse è cœlo admodùm copiosam, præsertim super Lariceas arbores, testimonio Clariss. Medici Julii Alexandrini, & Petri Spozzalancii Pharmacopæi Ananiensis, (à quo & portionem ad se missam refert,) confirmat.

49. Ne quis verò existimet, hanc Mannam, quam ex Lariceis foliis legerant

rant Ananienſes, è Larice ipſa exſudaſſe, teſtatur eandem nihil prorſus reſinoſi reſipuiſſe: Quin etiam, eandem non ſolùm in arborum foliis obſervatam fuiſſe; ſed etiam in pratis: adeò ut fæniſecæ præ Manna à Sole diſſoluta falces ab herbis nequiverint explicare. Et quid verò dicent de Manna illa, quæ non modò in herbas, ſed & ſuper ſaxa ac terram ipſam decidere deprehenditur?

50. Ingenuè quidem Coſtæus: De *Groſſa*, inquit, quam ex terra, ſaxiſque & herbis colligunt, quid dicam non habeo; qui nondum pro certo habeam, inquit, an ſub fraxino tantùm, & orno, vel aperto etiam cœlo, colligatur: Quod utique poſterius evidentiſſima teſtimonia probant. Ac conſtat ex Plinio, in præcedentibus allegato, eos, qui matutino ſub dio verſantur, *unctas liquore veſtes, capillumque concretum ſentire*. Et quid ni naturalis illa cauſa, quæ, ut roris inſtar Manna defluat

in Oriente efficit, æquè in Italia, aut aliis locis calidioribus, posset locum invenire; siquidem ex alia saltem quacunque causa Mannam ibidem provenire non dubitatur? Vel an quæ ratio commoda occurrit, cur sola *Orientalis Manna* sit pro *roscido melle* habenda; *Italica* verò omnis non nisi *promanans è caudice liquor* statuenda.

51. Quòd si contingat ex arboribus quibusdam, cortice inciso, Mannam exsudare; id non secundùm naturam, sed ex accidenti contingere, judicat Matthiolus. Quæ enim Manna inciso Arborum cortice, in Apulia & Calabriensi agro, canicularibus diebus, collacrymare deprehenditur, eam nequaquam plantæ ipsius liquorem esse statuit; sed ipsam eandem Mannam, quæ diebus superioribus easdem in arbores ab aëre deciderat: Nam, inquit, cùm illis regionibus usu veniat, ut præ cæteris prædictæ arbores, (nempe Fraxinus & Ornus,) mellifluo rore affatim

affatim abundèque madeſcant, ſitque cortex Solis ardore nimio ſitiens, ac rimoſus, magnam liquoris quantitatem intra abſorbet: Quo fit, ut poſtmodùm, exurente caniculâ, inciſo eodem cortice, idem liquor exiliat, & in grumos concreſcat: qui tamen cùm leves fungoſique ſunt, inquit, ob arboris ſucci mixtionem, infeliciter operantur, nec alteriùs Mannæ viribus correſpondent.

52. Sed prædictæ de *Manna materia* ſententiæ quâ ex melleo rore coagulari ſtatuitur, ſequentia incommoda, ab Altimaro ac Coſtæo mota, obſtare videntur. I. Si ex rore, frigoris nocturni vi condenſato, gignitur Manna, calore viciſſim diſſolvetur: quæ enim frigore condenſantur: calore ſolvuntur: At Manna vulgaris, etiam frondea, calore denſatur magis, ac non niſi liquore aliquo diſſolvitur, quod argumento eſt, à ſiccitate, non à frigore concretam eſſe.

53. II. Cùm in eodem tractu plures diversorum generum sit arbores; quî fit quòd non nisi ex certis duntaxat, (v. g. in Calabria & Apulia ex Fraxino & Orno, in Brigantio ex Junipero & Pino,) colligatur? nec iis quidem omnibus, sed nonnullis tantùm? nisi ex illis ipsis arboribus potiùs exsudare Manna credenda sit. III. Imò, obtectâ interdum vesperi Fraxino & Orno linteis, ut ros admitti nequeat, deprehenditur tamen manè frondibus similiter Manna insidere, ut antè; atqui hujus ex rore ortum esse nemo dixerit.

54. Respondemus ad *Primùm*: Reverà ordinariè quidem Solis orientis calore iterùm dissolvi Mannam: unde antelucanis temporibus colligi debet, ne evanescat: Id autem non minùs de Italica Manna verum esse quàm de Orientali, liquere potest ex eo quod refert Matthiolus in Diosc. lib. I. c. 73. Cossentiæ, inquit, quæ est Calabriæ civitas,

civitas, mihi facta fuit copia Mannæ, quæ nocte peractâ à cœlo deciderat super fraxineis frondibus, quæ Julapii perfectè cocti guttas prorsus referebat: *Accepi inibi ab incolis*, inquit, *quòd hæc manè legitur, priusquam Sol exortus admodùm excalfaciat: namque postea Sole liquefacta absorptaque facilè evanescit: Quapropter plerique (ut à nonnullis audivi,) ubi in magna deciderit copia, summo manè arborum ramos præscindunt, & in opacis collocant, ubi concretam majori commodo legunt.* Hinc Jonston. Admir. Meteor. cap. 10. *Liquescit omne* Manna *Sole*, inquit, *etiam Orientale, nisi præveniatur.*

55. Cur verò Manna collectum, & asservatum aliquandiu, non similiter calore dissolvatur, (præterquam quòd collectio ipsa & agitatio, particularum situm mutet utcunque, ipsamque materiam compingat, adeòque resolutioni promptiori quodammodò officiat,) hæc causa reddi potest, quòd

ex collecto Manna tenuior vapor sensim exhalârit; ac particulæ terrestres, quæ plurimæ insunt, aëream implicantes materiam, arctiùs inter se coïerunt, unde non nisi affuso humido liquescit.

56. Ita multa alia in natura repeRiuntur, quæ moderato ac tepido calore, dum fortè tenuiores particulæ subsunt, aut crassæ nondum satis compactæ sunt, seu tota substantia minùs etiamnum coagulata est, facilè solvuntur & liquescunt; at quæ vel forti & urenti calori exposita, vel sensim resolutis particulis tenuioribus, vel etiam fortè nullâ factâ evaporatione sensibili, solâ vi frigoris, indurantur planè ac quasi exiccantur, ita ut substantia eorundem consistens, indurata, ac quasi arefacta, non ampliùs simplici calore resolvatur, ut in *resina*, & omni genere *gummi* videre est.

57. Simili ratione contingere potest, ut nonnihil Mannæ, in quo particulæ

ticulæ terrestres coïerunt inter sese arctiùs, atque cohærent tenaciùs, seu cujus substantia fortè vehementiùs concreta est, (præsertim cùm fervidiore Solis æstu plus terrestris materiæ in altum fuit elevatum, idemque magis excoctum,) non illicò orto Sole dissolvatur, quod & interdiu colligi possit: (velut procul dubio apes nonnihil mellis residui, ex nocturno rore, inveniunt interdiu, quamvis idipsum minùs in oculos incurrat:) Ut adeò verum esse queat, quod urget Costæus ex Donato Altimaro, non tantùm ante Solis ortum, sed etiam meridie summâ, & sub Canis æstu ac siccitate, Mannam colligi: Parum tamen utique hoc fuerit; plurimumque, nisi ante Solis ortum fuerit collectum, tepido Solis calore evanescit.

58. Ad *Secundum* dicimus: Nec in Oriente quidem, ubi Mannam ex rore etiam gigni largiuntur, (quod apud omnes extra controversiam est,) pro-

miſcuè reperitur Manna ſuper plantis quibuſvis: Ita namque diximus ex Avicenna *Terengjubîn* potiſſimùm colligi ex planta quadam Al-Hhâgj dicta. Quæ fortè cauſa eſt, cur etiam in Oriente quibuſdam vel *reſina* vel *gummi* eſſe credatur, quod item Garciæ ab Horto perſuaſum fuiſſe ex relatu aliorum, ſuperiùs intelleximus.

59. Cur autem non niſi ex certis quibuſdam arboribus colligatur, cauſam eſſe putat Marthiol. earundem arborum occultam quandam facultatem, velut magnetis ad ferrum, & ſuccini ad paleas: nos verò cenſemus, ex peculiari arborum ſeu plantarum diſpoſitione, tum quoad primas tum quoad ſecundas qualitates, pendere, cur potiùs in hac arbore vel planta concreſcat ros ille, ſeu denſetur ac cohibeatur; in alia diffluat, vel abſorbeatur, idque vel profundiùs, ſubeundo lignum ipſum, vel minùs profundè, corticem duntaxat penetrando,

unde

unde quandoque ſactâ inciſione denuò promanare cernatur. Atque ita ſanè obſervamus quotidie, non in omni ſubjecto ex æquo rorem vulgarem vel pruinam repræſentari: dum corpora alia materiam ipſam imbibunt, alia eandem ſuſtinent; in aliis ſubjectis ros guttatim collectus conſpicirur, in aliis diffuſus diffluit.

60. Ad *Tertium*: Si verum eſt quod hîc dicitur, cenſemus fieri poſſe, ut quandoque roſcidus ille ſuccus, ſeu melleus liquor, quem cortex calore Solis rarefactus, poroſuſque, ac quaſi rimoſus redditus, præcedentibus noctibus copioſè imbibit, vel ad lignum uſque tranſmiſit, aliâ nocte forſan, factâ vi frigoris nocturni condenſatione ac conſtrictione circa arborem, per corticis quoſdam poros ampliores denuò exprimatur. Veruntamen, quod hac ratione promanat, id procul dubio ſaporem æmulatur ejus plantæ unde promanat; ut adeò, ſi quid eâ ratione

promanet v. g. à Larice, id resinosum quid sapere deprehendatur; quod tamen in Manna ex similibus plantis collecto non deprehenditur.

61. Et quamvis etiam absurdum non sit, è quibusdam plantarum generibus nonnihil succi terrestris, qui à plantis ipsis è terra sit attractus, atque per ipsarum substantiam distributus, ibidemque coctus & elaboratus, in *melleum liquorem*, per corticem earundem quandoque posse exsudare, ut ita promanans mox gummi instar concrescat; Verisimile tamen omnino est, ejusmodi *succum melleum* è planta quacunque quæ per se ingrati saporis sit, atque aliena à dulcedine, nequaquam posse exsudare: Ut adeò ex Larice v. g. non magis queat tali modo promanare *Manna*; quàm colligi queant uvæ à spinis, aut ficus à tribulis: Cùmque cæteræ arbores, ex quibus communissimè *Manna* colligitur, nempe *Fraxinus*, *Ornus*, *Iuniperus*, *Pinus*, &c. suâ naturâ

naturâ mellifluæ nequaquam deprehendantur; verisimile utique est, ex ipsis illis arboribus *Manna* illud, quod super easdem colligitur, non promanâsse magis, quàm mastiche ex quercu, è junipero thus, è pino myrrha exsudare deprehenditur.

62. Cæterùm, rationi omnino consentaneum est, plantas ipsas quoque aliquid *mellei succi* è terra allicere, aut intra sui substantiam (pro ratione mutationis ac coctionis quam subit in iis succus) nonnihil q. *mellis* conficere & elaborare, alias quidem copiâ majori, ac qualitate seu dulcedine meliori, alias copiâ minori, ac qualitate deteriori. Ita *Arundines sacchariferæ* quoddam quasi *mel* copiosissimè proferunt, dum succum è terra alliciunt, alterant, commutant, perficiunt, & coquunt, *Sacchari* enim & *Mellis* magna affinitas est; ita ut dulcis ille liquor, qui in Arundine Sacchariferа reperitur, Arabibus *Asl Al-Khadsb*, *mel arundinum* dicatur;

catur; ipſeque Dioſc. libr. 2. cap. 104. *Saccharum* eſſe quoddam *mellis concreti* genus aſſerat. Attamen *ſuper Arundine Manna* colligi genuinum, non admiſerim; nec *Saccharum Antiquorum*, quod apud Indos ſuper folia Arundinum invenitur, ipſum *Manna* eſſe conceſſerim.

63. Et ſiquidem verum ſit id, quod de ſuo *Elæomelite* refert Dioſc. nempe hunc *ſuccum melleum* ex arborum caudice manare; verè erit *Mannæ genus*, à *melleo rore*, ſeu *melle aërio* diverſum: At cùm noſtrâ ætate, (quâ magis quàm olim terrarum orbis eſt perluſtratus,) id genus arborum, è quarum caudice *Elæomeli* promanet, nondum ſit cognitum, pro *Aëromelite* ſeu *roſcido melle*, illum dulcem ſpiſſumque Dioſcoridis liquorem accipimus: Nec admittimus correctionem Salmaſii, qui exiſtimans Dioſcoridem ignorâſſe quid eſſet propriè Ἐλαιόμελι, & unde naſceretur, vult Dioſcoridem debuiſſe di-

cere,

cere, *Mel* esse *instar olei liquidius*, quod ipse *liquidam Mannam* interpretatur; sed æquè dubium relinquit quid propriè illa *liquida Manna* sit, & unde nascatur.

64. Ex demonstrata vero *Mannæ materia* ac *genesi*, liquet omninò erroneam esse sententiam illam Christoph. à Vega, lib. 2. de art. med. s. 3. c. 11. quâ putat *Manna* parvarum quarundam apum, culicibus crassis similium, opus esse, à quibus gregatim arboribus insidentibus, guttatim, quasi sudor, Manna defluat. Cui rectè reponit Senn. Phys. libr. 4. cap. 8. Verisimilius esse, animalcula hæc potiùs allici Mannæ dulcedine, quàm id efficere.

65. Notum utique est, insecta varia etiam Apum laboribus insidiari, atque mella avidè appetere: qua de causa Apes in Republica sua etiam huic muneri Cives nonnullos destinatos habent, quæ ad ejusmodi insidias attendant, atque prædones arceant: quod à Virgilio insinuatum Georg. libr. 4.

—— Pars

——— *Pars intra septa domorum*
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.
Aut onera accipiunt venientum: aut agmine facto.
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

66. Liquet item, quid sentiendum sit de illis opinionibus, quas proponit Plin. libr. 11. cap. 12. dubitans an *Mel roscidum* (quod quatenus conspicuum colligitur ab Hominibus, *Mannam* esse ac vocari diximus ex Avicenn. quatenus ab Apibus, *Mel Apum* evadere;) an illud, inquam, sit *Cæli sudor*, sive quædam *Siderum saliva*, sive *purgantis se aëris succus?* Tertia quidem hæc

hæc opinio admitti posset, si illi *aëris succo*, non ex ipso aëre, vel sublimiori regione, sed è terra & aquis, originem tribuere, Plinio non invito, liceret.

67. At à Cœlo sublimiore, seu Æthere, ipsi originem arcessere Plinius ipse videtur, dum inquit: *Vtinam esset & purus ac liquidus, & sua natura, qualis defluit primò; Nunc verò è tanta cadens altitudine, multúmque dum venit sordescens, & obvio terræ halitu infectus, præterea è fronde ac pabulis potus, & in utercalos congestus apum, (ore enim vomunt,) ad hæc succo florum corruptus, & alveis maceratus, toties que mutatus, magnam tamen cœlestis naturæ voluptatem affert.* Sed suam Plinio sententiam relinquimus.

68. Id verò dignum est pleniori consideratione, An *Mellis* propriè dicti, & *Mannæ*, planè *eadem sit substantia*? Quod ipsum colligendum videtur tum ex Plinio, tum ex Avicenna superiùs allegato; velut item

ex

ex Gal. 3. facult. alim. cap. 36. Equidem, quatenus *melleus* ille *ros*, partim inspissatus, ac visibilior redditus, super herbas, frondes, arbores, saxa, aliave subjecta, colligitur ab Hominibus, ac *Manna* vocatur; partim imbibitur ab ipsis plantis, aut invisibiliter iisdem adhærescens, colligitur ab *Apibus*, atque in alveolos reconditur, ubi tandem *Mel* propriè vocatur: eatenus utique una utriusque & Mannæ & Mellis materia existit: Nisi quòd *Mannæ substantia* crassarum magis existat partium; *Mellis substantia* verò partium magis tenuium, ac fortè ipsarum plantarum, quibus inhæsit, qualitatibus magis imbuta.

69. Hoc insuper intercedit discriminis, quòd *Mel* in cellulas relatum ab apibus, initio non modò ut aqua dilutum, existat; sed & primis diebus ferveat, ut mustum, seque purget, tandemque crassescat circa vigesimum diem, moxque obducatur tenui membranâ,

branâ, quæ fervoris ipsius spumâ concrescit, docente Plinio lib. 11. cap. 13. & Arist. 5. histor. anim. cap. 22. secus atque in *Manna* contingit.

70. Huc accedit, quòd & Apes ipsæ peculiarem quandam in *Mel* impressionem faciant, hoc est, substantiam ejus à Mannæ substantia quodammodò distinctam reddant, peculiari eam imbuendo qualitate, ut ex Avic. docuimus. Præterea, non id solùm colligunt apes, quod ex aëre delapsum est, atque ita à plantis, in quas incidit, imbibitum, ipsisque plantis vel floribus invisibiliter adhærescit; sed & multum ejus, quod plantæ ipsæmet, vi radiorum solarium calefactæ, rarefactæ, è terra eliciunt, digerunt, coquunt, temperant, ac per sui substantiam diffundunt.

71. Nempe, *liquorem dulcem* seu *melleum*, quem plantæ variæ suscipiunt è terra, atque vi propriæ substantiæ elaborant & perficiunt, vi radiorum sola-

rium

rium ad extremas earundem partes (quales imprimis ſunt flores) evectum , atque ita per longas ambages perfectè excolatum & excoctum, apes paſſim eliciunt ac colligunt longè puriorem , magiſque exutum alieno ſapore, ſeu ab heterogeneis plantæ ſuccique alieni partibus ſeparatum, quàm vel ſponte vi æſtus ſolaris is unquam emanaret , vel arte elici aut exprimi poſſet: ac optimum quidem colligunt eundem, ubi optimorum doliolis florum eſt conditus, ut loquitur Plin. cit. loc. Quamvis Ariſt. libr. 5. Hiſt. anim. cap. 22. Favos ex floribus apes conficere, tradat; mel non facere, ſed purum putumque afferre ſicut è cœlo defluxit: Quo reſpicit Seneca Epiſt. 85.

72. Interea, veluti nequaquam ex omnibus plantis, vel floribus quibuſvis promiſcuè, mella apes proliciunt; ſic neque ſimpliciter purum mel eliciunt è floribus appropriatis, ſed plantæ ſuæ utcunque redolens conditionem

nem ac qualitatem: Hinc neque ex omnibus plantis vel floribus ex quibus mel apes eliciunt, æquè dulce, vel probum, vel salubre, colligunt; Videlicet, Ericæ flore, dum utuntur apes, minimè probatum mel efficiunt, teste Diosc. libr. 1. cap. 117. Similiter de aliis.

73. Ex hisce verò liquet, non omne Mel, quod ab Apibus colligitur, ex aëre decidere; sed copiosam illius materiam è terra suppeditari, atque allici à plantis; in iisque vi Solis elaborari ac coqui. Id verò vel inde quoque colligi potest, quòd cùm tempestivos imbres serena cœli constitutio sequitur, plurimum mellis gignatur: imbre nimirum succum & materiam plantis è terra suppeditante; Sole verò eundem in dulcem liquorem excoquente.

74. Quamvis itaque magna quidem *Mellis* portio, ejusdem sit cùm *Manna* substantiæ; magna tamen itidem ejusdem portio plurimùm à *Manna* diversa est:

ſa eſt: Ut adeò ſi *Mel* totum ſpectetur, prout jam confectum ab Apibus, atque in alvearia reconditum, plurimùm id ipſum à *Manna* quoad ſubſtantiam differre ſtatuendum ſit.

75. Hanc verò ſubſtantiæ utriuſque diverſitatem arguunt ea quæ notavit Valer. Cordus in Annotat. ad Dioſc. libr. 2. cap. 104. Nempe, 1. *Mel apum* ſemper, quocunque Veris & Æſtatis tempore, in floribus reperitur; at *ros melleus*, ſeu *Manna*, non ſemper, ſed rariſſimè decidit. 2. *Mel apum* tam noctu quàm interdiu in floribus reperitur; at *melleus ros* non niſi tempore matutino. 3. *Mellis apum* circa meridiem plurimum in floribus deprehenditur; at *melleus ros* incaleſcente Sole ſtatim perit. 4. *Mel apum* dum in floribus continetur ſemper eſt liquidum; at *ros melleus* ut plurimùm reperitur concretus. 5. *Mel apum* continetur in floribus: at *ros melleus* ſuper folia plantarum decidit. 6. *Mel apum* non modò per ſe longam

longam vetustatem ferre potest; sed & alia multa in multos annos conservat: at *ros melleus* plurimùm per se vix in unum aut alterum annum durare potest, nedum alia à corruptione tueri. 7. In Septentrione maxima *mellis* est copia, v. g. in Lithuania, Livonia, & vicinis regionibus, in quibus tamen rarissimè *rores mellei* conspiciuntur. 8. Si *ros melleus* esset *mellis* materia, seu eadem utriusque substantia, utique *mel* apes colligerent ex foliis potiùs totaque planta, quàm ex solis floribus; atqui ex hisce imprimis, & quidem ex horum intimis penetralibus mel colligunt apes. 9. Hoc addi potest, *mellito rore* delectari apes ut eo nutriantur, non ut exinde *mel* recondant: Hinc Rusticis notum, *mellitos rores* bonum pastùm apibus præbere, sed ad mellificationem non conferre. Sed hæc de *Mellis* ac *Mannæ* differentia.

76. Alia hic Quæstio occurrit, à multis agitata, *An Manna Israëlita-*

rum (quo ceu cibo quadraginta annos id deserto sunt nutriti Exod. 16. Numer. 11.) *eadem sit cum nostra Manna, quâ utimur in Medicina?* Affirmat id ipsum Fr. Vales. Philos. Sacræ cap. 57. Levin. Lemnius Herb. Bibl. Explic. c. 3. Ac Joh. Franc. Picus, Mirandulæ Comes, elegantibus hisce versibus:

———————— *Nubes*
Sed placidum rorem verno liquefacta tepore
Gignit, si pulsis nebulis nox ipsa refulsit.
Hæc etiam semen Coriandri imitata rotundum
Cogitur, & ramis frondosæ stirpis adhæret:
Flavam corporibus bilem eductura. Sed olim,
Dum Iudæa cohors sitientibus exul arenis
Degeret, in pastum cecidit divinitus: Inde

Attoniti

Attoniti Patres, MAN HU,
dixêre vetusti.

77. Equidem deſcribitur *Manna Iſraëlitarum* Exod. 16. in hunc modum: ℣. 14. *Manè fuit ſtratus Ros circa ipſa caſtra*: ℣. 15. *Quumque ſe elevâſſet ſtratus ille ros, ecce in ſuperficie deſerti minutum quid rotundum, minutum, ſicut pruina ſuper terram.* ℣. 16. *Quod videntes filii Iſraëlis dicebant alter alteri* MAN HU (quid hoc eſt?) *non enim ſciebant quid eſſet.* ℣. 22. *Colligebant illud quovis mane; nam incaleſcente Sole liqueſcebat.* ℣. 31. *Vocavit autem domus Iſraël nomen ejus* MAN: *quod erat quaſi ſemen Coriandri, album; & ejus ſapor velut placenta ex farina cum melle.* Num. 11. ℣. 7. *Man autem ut ſemen Coriandri erat; & color* (ſeu intuitns) *ejus, ut color* (ſeu intuitus) *Bedolah.*

78. Nempe *Manna* nocturno tempore cœlitus delapſum in terram, procul dubio partium erat magnitudine ac colore differentium; ut aliæ particulæ

minores essent, aliæ paulò majores; rursum nonnullæ pruinæ instar, minutissimis particulis striatæ ac squammosæ, per terram stratæ, aliæ conglobatæ, figurâ ac magnitudine semini Coriandri similes; quin & nonnullæ colore albicantes, aliæ forsan subflavæ: Hinc quæ tenuiores erant, facillimè solvebantur in halitus, atque roris instar elevabantur, nisi summo manè, antequam radii solares perstringerent Horizontem, colligerentur; quæ majores erant, ac formâ & magnitudine Coriandri semen referebant, duriusculæ, durabant paulò diutiùs, at nisi & ipsæ tamen ad auroram legerentur ocyùs, facilè solis tepore liquescebant, atque evolabant; collectæ verò, mox gummi vel resinæ instar indurescebant, ut teri possent, atque in panes concinnari.

79. Quæ sanè si conferantur cum superiùs declaratis, apparet *Mannam*, quo pasti sunt Filii Israëlis in deserto, non

non malè convenire cum *Manna* nostra: Planèque eidem congruit *descriptio Mannæ* apud Mesuen de simp. Med. part. 1. capit. 8. quæ ita habet: *Manna est ros, cadens super quasdam plantas ac lapides*, &c. (similiter super terram:) *Diversificatur autem secundùm diversitates rerum super quas cadit: cadens enim super lapides, est sicut guttæ parvæ, quæ congelantur*, (hoc est, secundùm textum sacrum, *minutum rotundum quid*, concretum *sicut pruina*;) *& fiunt sicut semen*, (ut *semen Coriandri* inquit Scriptura, quod ipsum quoque in virente etiamnum & germinante herba album est, tersum, politum, perfectæ figuræ sphæricæ,) &c. *Ex ea quæ cadit super lapides melior est quæ est sicut semen album*, inquit Mesue, (quod est *quasi semen Coriandri, album*, dicitur Exod. ℣. 31.) *post illam verò in bonitate est, quæ est subcitrina*, dicente Mesue, (hoc est, cujus *color ut color bdellii*; sic enim vocab. *Bedolah* vertitur à Tremell. & Junio.)

Nec *Sapor* ipse quoque nostræ Mannæ malè congruit: Reverà enim est *Manna cruda sapor*, ac si farinæ purissimæ seu amyli quippiam in pulticulam esset cum melle permixtum: *trita* verò ac *contusa coctaque & igne parata*, *saporem panis oleati* referebat: Numer. 11. ℣. 1.

80. Notandum circa vocabulum *Bedolah*, cui intuitu externo seu colore comparatur *Manna* Numer. 11. ℣. 7. verti id quidem à Tremell. & Junio *Bdellium* (quod gummi genus *subflavescentis* est *coloris*;) at idem dubium seu obscurum haberi ab Interpretibus Belgis, qui ideo vocabulum Hebræum servare maluerunt: Idem occurrit Genes. 2. v. 12. ubi conjungitur cum Sardonyce Lapide; ut adeò illic pretiosum aliquem lapidem, aut simile quid, denotare videatur: Utrobique in Persico nostro Pentateucho M. S. redditur *Bolour*, quod *Crystallum* denotat: similiter Rabbi Salomo Jarch. Numer, 11. *Crystallum* reddit: quæ equi-

equidem interpretatio non malè ipsi Mannę in comparatione externi intuitus congruere videtur, cùm optima *Manna*, *Mastichina* seu *Granata* dicta, albicans ac quodammodò pellucida existat, ut ex præcedentibus liquet.

18. Sed occurrit difficultas, quâ ratione *Manna* nostra, quæ Medicina est solutiva, pro cibo esse potuerit Israëlitis? quâ ratione factum, inquam, ut tali cibo continuè usurpato, corpora non planè laxarentur ac dissolverentur! An verò miraculum potiùs in eo statuendum, quod Deus ex Medicina laxativa commodum cibum constituerit, quàm quòd cibum, qui non reperiebatur in deserto, supernaturali ratione suppeditaverit?

82. Respondemus, qualitatem ac naturam hujusce cibi satis ab ipsismet Israëlitis esse proditam, quando Numer. 21. ℣. 5. *Anima nostra nauseat*, inquiunt, *super cibo isto levissimo:* Quod autem cibi leves, & qui solidam sub-

ſtantiam corporibus non tribuunt; medicamentorum quoque rationem habeant, ac purgandi polleant facultate, teſtatur Hippocrates. Quin &, lenientibus medicamentis hoc peculiare ineſt, ob eam quam cum natura habent familiaritatem, ut facilè in nutrimentum abeant, præſertim ſi non aliquanto poſt uſum eorum alia alimenta aſſumantur: Quid ergo mirum Mannam Iſraëlitis in alimentum ceſſiſſe, utpote qui eâ ſolâ veſcebantur.

83. Ac videtur omnino talis cibus maximè Iſraëlitis fuiſſe idoneus, quin imò neceſſarius; qui nempe initio Medicamenti rationem haberet, ad expurgandam cacochymiam, quam ex uſu cucumerum, peponum, porrorum, cœparum, & aliorum, (quorum ipſi meminerunt Num. 11. v. 5.) in Ægypto contraxerant: Atqui deinceps porrò aſſuetis in idoneum benignumque cederet alimentum.

84. Certè

84. Certè consuetudine quandoque res alienissimæ redduntur naturæ familiares: ut & venena ac pharmaca sensim per assuefactionem in alimoniam verti tradantur, apud Lang. Ep. Med. libr. 1. Epist. 12. Sic nonnullos venenis enutritos diu vixisse, refert Johan. Bruyerin. de re Cibaria libr. 1. capit. 22. Consuetudine factum, ut Thrasias Pharmacopola, & plerique in Græcia pastores, integros Ellebori manipulos citra noxam devorarent & concoquerent; cujus frequentes potiones, ob familiarem ac diutinum pharmaci usum, Eudemum illum Chium nec vomitu nec alvi potione purgare poterant, ut est apud Theophrastum libr. 9. de hist. plant. cap. 18.

15. De Puella, præsentissimo Napelli veneno nutrita, referunt Arist. in libr. de Regim. Principum, & Averr. in Procem, 3. Phys. itemque Gal. lib. 3. de Nat. simpl. quæ puellari venere decora, à Rege Indorum Alexandro

 magno,

magno, dolo, muneri data, cujus ſcintillationes, & ſerpentum more nictantes oculos, cùm Ariſtoteles illius Præceptor vidiſſet, Cave tibi ab hac, inquit, ô Alexander: hac nempe tibi exitium paratur: Nec judicio Ariſtotelis defuit eventus: Nam plerique proci Virginis commercio intoxicati interierunt.

86. Quòd ſi verò conſuetudo ex venenis cibum poteſt efficere idoneum pro corpore ſuſtentando ac corroborando; quantò magis ex medicamentis naturâ propriâ alimentoſis? Accedente imprimis ſpeciali Dei concurſu, quo non modò in cibum id medicinæ genus ordinabatur & efficiebatur, ſed eundem quoque ſuaviſſimum, qui, ſi Apocrypho Scriptori habenda fides, (Sapientiæ 16. v. 20.) ad omnem voluptatem, & omnem convenientem guſtum poterat temperari; quod non ſine divino miraculo fuiſſe factum exiſtimandum.

87. Et

87. Et sanè, *Manna* assuetis non laxare alvum, nec leniente ullâ virtute corpus afficere, sed nutrimentum iisdem suppeditare conveniens, ex Fuchsio libr. de Compos. Med. liquere potest: qui hoc argumento *Manna* à Medicorum usu explodere conatur, quòd levem admodùm vel omnino nullam fere solvendi, alvumque subducendi vim habeat: *Quod iis compertum est*, inquit, *qui juxta Libanum fuerunt: Nam referunt, Indigenas ejus montis, cum abundè eâ satientur, nihil tamen lædi, aut alvum sibi quoque pacto subduci sentire; sed eâ tanquam obsonio nutriri*, *Quapropter cùm melli*, inquit, *quodammodò similem facultatem habere constet, facile eâ carere liceret*, &c.

18. Fidem equidem hîc Fuchsio habemus, vel iis qui Fuchsio hunc Mannæ effectum retulerunt; sed ex usu quotidiano & assuefactione id Libani montis Incolis evenire, censemus. Improbandum interim id doctissimi

 Viri

Viri judicium, quo ex effectu Mannæ circa Libani Incolas deprehensio, posthabitâ rationis investigatione, effectum ejusdem manifestissimum, qui non nisi invitis sensibus ipsi potest denegari, conetur evertere, ac utilissimo medicamento Artem medicam privare. Sed hunc sufficienter redarguit Matthiol. in Diosc. lib. 1. c. 73. Certè ob consuetudinem solam, & usum assuetum, Libani Incolæ Mannâ non solvuntur; secus atque alii eidem minùs assueti: (veluti post usum frequentem cujuscunque medicamenti, non eundem ampliùs vel æquè validum effectum observamus:) Similiter Israëlitæ in deserto huic cibo assueti, vim ejus medicamentosam non ampliùs experti sunt.

89. Nequaquam tamen ad extenuandam Dei gloriam hæc obliquo & impio flexu trahenda sunt: quasi quid Dei Potentiæ detrahatur, si etiam, ubi vel maxima edit miracula, Naturæ mini-

ministerio, ultra vires ordinarias ac naturales impulsæ vel evectæ, uti credatur. Certè facit hoc potiùs ad extollendam infinitam Dei sapientiam, quâ omnipotenti suo consilio sic omnia disponit ac dirigit, ut etiam ea, quæ verè portentosissima existunt, videantur aliqua ex parte secundùm naturæ ordinem evenire, ac saltem non sine mediis à Deo conditis institui.

90. Sic passim Deus mediis naturalibus uti consuevit, in exercendis summis miraculis: ubi tamen media ipsa per divinam omnipotentiam ultra universæ Naturæ vires extollit; ac quæ solo jussu nutuque suo efficere potuisset, nullo adhibito naturali subjecto, ea passim voluit, (ac vult etiamnum,) peragere rerum naturalium (quarum ipse effector ac moderator est,) adminiculo ac ministerio: quod multis exemplis declarat Levin. Lemn. cit. loc.

91. Interea multis modis stupendum Dei miraculum in deserto, non

modò circa *Mannæ conversionem in cibum*, (quâ nempe levissimo hoc alimento, ut vocatur Numer. 21. ℣. 5. corporum robur & solida eorum substantia fuit conservata & refecta;) sed & circa ejusdem *productionem* ac *substantiæ modum* se prodidit, multumque eidem supra vulgaris Mannæ genesin, adeòque supra Naturæ cursum ordinarium, viresque, accessit. Namque 1. *Manna vulgare* non nisi stato anni tempore generatur, (scil. circa Vergiliarum exortum, vel Sirio splendente;) at *Israëlitarum Manna* omnibus anni temporibus descendit.

92. 2. *Vulgare Manna*, quo anni tempore cadit, quibusvis septimanæ diebus promiscuè cadit, majori minorive mensurâ: At *Israëlitarum Manna* præcisè die Sabbathi non cadebat; reliquis diebus cadebat eâ semper mensurâ quæ sufficiebat Israëlitis; ac speciatim die Veneris duplâ semper mensurâ suppeditabatur. Exod. 16. v. 17. 23. 28.

93. 3. *Vul-*

93. 3. *Vulgare Manna* non nisi certis in locis cadit; *Israëlitarum* descendebat quibusvis in locis in deserto, ubicunque Israëlitæ iter faciebant, dum vagabantur in deserto quadraginta annos. v. 36.

94. 4. *Vulgare Manna* durare potest & conservari ad aliquod tempus: (quippe quod ex Alexandria Ægypti affertur, *Mastichinum* dictum, saltem ad annum in suis viribus persistit, teste Matthiolo; similiter quod describit Mesue: quod verò in Italia provenit, præsertim Calabrinum, pluribus etiam annis incorruptum permanet, ut vel ad quinquennium asservari queat:) At *Israëlitarum Manna*, servatum in crastinum diem, vermes producebat ac fœtebat, ibid. v. 21. præterquam quod die veneris colligebatur, illud quippe deponebatur asservandum in crastinum, nec tamen fœtebat, nec vermis in eo erat, ibid. v. 24. 25. quod verò reservabatur in memoriam, ut recor-

darentur

darentur panis quem quadraginta annis comederant in deserto, (Exod. 16. ℣. 32. 33.) id in plura ætatum sæcula durabat.

95. 5. *Vulgare Manna* molle est, & ad trituram ineptum: quamvis & in Persia duriusculum colligi tradatur, & quod teri queat; unde & illud, quod cadit super Al-Hhagj à nonnullis pro resina habetur, ut dictum superiùs:) Israëlitarum, utut incalescente Sole liquesceret nondum collectum, non secus ac vulgare; collectum tamen durum erat, ut resinæ alicujus aut ficcioris gummi instar in pollinem redigi posset: quippe molebant ipsum molis, tundebant tudiculâ, coquebantque in cacabo, ac conficiebant ex eo placentas subcineritias, Num. 11. v. 8.

96. De *Viribus Mannæ* partim constat ex præcedentibus: *Medicamentum* certè est *alimentosum*, velut & Mel: *Usum* ejus esse pro Saccharo legimus *ad sitim* in potu aquâ soluto Nomadicis Pastori-

Paſtoribus, qui Targæ colunt ſolitudines. Scal. Exerc. 164. Similiter Avic. (in cap. de Tereniabin,) & Meſue, *ſedare ſitim* teſtantur. *Temperatum* eſt in qualitatibus, ſeu nullius exceſſus, Meſ. paulùm tamen vergens ad calorem, Avic. Leniter alvum ſolvit, cum aliqua abſterſione, Avic. educitque choleram proprietate quadam, cum facilitate, Avic. Meſ. Coctum citiùs operatur, intenditurque vis ejus admixto Hyſſopo, Al-Hhagj, ſimili; mixtum verò aliis medicamentis promovet earum operationem, eamque facilitat; quippe dulcedine ſuâ eadem gratiora reddit, Meſ. Confert tuſſi, (imprimis ea Manna quæ cadit ſuper tamariſcum Serap.) & lenit guttur ac pectus: quin & miſcetur in confectionibus magnis, propter excellens juvamentum quod eſt in eo, Serap. Simpl. Med. cap. 45. *Doſis* ejus *ab aureis* 10. *ad aureos* 20. Avic. Serap. (Text. Arabic. habet *mitskhâl* pro eo quod *aureum* vertunt: Eſt autem

tem *mithskhâl* pondus ſeſquidrachmæ :) Matthiolus *Italicæ Mannæ* propinandæ menſuram definit *trium* aut *quatuor unciarum*; *Orientalem maſtichinam*, id eſt probatiſſimam, parciùs exhiberi aït; minùs enim in ſolvendo eſſe imbecillam.

97. Quoad *delectum Mannæ*: Judice Meſue, ex ea quidem quæ *ſuper Lapides* cadit, melior eſt quæ eſt *ſicut ſemen album*, eſtque *dulcis*, & *recens*; poſt illam verò in bonitate eſt, quæ eſt *ſubcitrina*: *Fuſca* verò & *cænoſa*, (hoc eſt, quæ cecidit *in terram*,) & *antiqua*, non eſt bona. Ex ea verò quæ cadit *ſuper plantas*, melior eſt illa, quæ eſt *pauca permixtionis* cum foliis, & eſt *ſubalbida*, & *recens*. Hæc Meſue.

98. Sed dubitatur, utrùm melior ſit ea quæ *ſuper Lapides* cadit, an quæ *ſuper plantas*. Vulgo quidem *præſtantior* cenſetur ea quæ cadit *ſuper plantas*; atque ex hac præſtantiſſima omnium, quam *frondeam* appellari ſuperiùs diximus,

mus, quia hæc minimum recipit ab iis, nec eſt ingrati odoris. Sed aliter ſentire videtur Meſues, qui, dum ordine à meliori ad deteriorem enarrando progreditur, primum locum ei quæ *ſuper Lapides* cadit aſſignat. Ac rationi certè id ipſum conſentaneum videtur: Etenim quæ cadit *ſuper plantas* ſuſcipit de virtute plantarum, & eſt cum permixtione particularum foliorum & florum, teſte Meſue, ſecus atque contingit in ea, quæ *ſuper Lapides* cadit. Atque hæc ipſa eſt ſententia Valleſ. Philoſ. Sacr. cap. 57. ubi præſtantius id eſſe dicit, quod cadit *ſuper Lapides*, quia alterum ſuſcipit de virtute plantarum, (tametſi vulgò, inquit, pretioſior eſt quæ *de fronde* vocatur:) Additque porrò, conſtat quod *ſimile eſt ſemini*, eſſe quod *ſuper Lapides*, idque eſſe *grandioribus partibus* quàm alterum, atque ſi ſimul album ſit, eſſe optimum; parum verò ab hoc deficere, quod *ſubcitrinum*, ſcilicet *colore Bdellii*.

99. *Quoad*

99. *Quoad Regiones*, ubi cadit Manna: *Optima* quidem est *Orientalis*, præsertim *Masticbina*; rarò hanc haberi aït Matthiolus, afferrique evanidam & virium expertem, quam *Bombycinam* vocant, quam eâdem mensurâ quâ Italicam propinamus, inquit. In *Orientalis* ac legitimæ Mannæ inopia, multi quidem, Matthiolo teste, eâ tantùm, quæ *Frondea* vocatur, utendum putant, ceu solâ legitimâ, cæteras rejiciunt, ceu perniciosas: quare & Neapoli Lege omnes, exceptâ frondeâ, interdicuntur. Ipse tamen Matth. *vulgarem Mannam*, & *Calabram*, & *Brigantinam*, etiam *arboream*, tutissimum esse Medicamentum asserit, ubi serosi humores & biliosi sunt expurgandi; quod & à Viris maximis frequentissimè observatum se nosse testatur.

100. Cæterùm in genere *optima* censetur, quæ *recens*, *splendens*, *candicans*, & *in purissimos grumos concreta*, gustu *melleum* præ se ferens *dulcedinem*; sive

super

super Lapides ceciderit, sive *ex stirpibus* odoratis & salubribus sit collecta, nullis surculis aut folliculis implicata: Deterior verò est *citrina*: *Pessima*, *fusca*, *cænosa*, *antiqua*. Atque hæc de Manna.

Sequentia ex Keckerman. libr. 6. System. Phys. cap. 10. libet subjungere, atque aliorum examini ac judicio relinquere. *Manna dicitur* à MANNAH, *id est*, *à distribuendo*, inquit: *nam Manna idem est quod portio unicuique distributa*, *de qua* Numeri 11. Et mox: MANNA *autem Polonicum*, *etiamsi ex foliis herbarum aut arborum enasci aut crescere videatur*, *tamen* 1. *cùm ex foliis divelli aut dejici facilè queat*; 2. *cùm nullum semen habeat*, *aut aliò deferri plantarique possit*, *ex rore gigni Poloni certò affirmant*: *Sed medicamenti nullum habet usum*, *sed tantùm alimenti*; *vocatur* die Schwaden. *Ante annos verò paucos Poloni aliud etiam pretiosius & dulcius Manna genus invenerunt*, *quod ruri prostratum subtile est ac sacca-*

saccaro simile, quod butyro modicoque saccaro decoctum cum Italorum delicatissimis ferrulis & jusculis certare facilè posset. Est autem aliud Manna rusticorum, die Mehl-taw / (credo respondere ei quod nostratibus dicitur Honig-daw /) *quod potiùs vitium roris est, & ex putrefacto crassoque rore in frugibus nascitur, instarque telæ araneæ frugibus adhæret, intra quam telam generatur vermiculus, noxiùs & perniitiosus frugibus & arboribus, & sic per antiphrasin dicitur* RUSTICORUM MANNA. Hæc Keckermannus.

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO DE SACCHARO.

VEluti MANNÆ *Mel* affine est; sic *Saccharum Mellis* species existit: *Illud* Aër generat; *Istud* colligunt Apes; *hoc* è plantis prognatum consit plurimùm Arte. Circa hoc verò non una difficultas occurrit: dum nec Veteres Recentioribus, nec forsan inter se Veteres, nec Græci Arabibus, in essentia rei declaranda congruere videntur; insuperque variæ species ejusdem ab Arabibus traditæ, ac rerum diversarum confusæ distinctiones, quin & Autorum optimorum versiones

nes ineptæ nonnunquam, ac barbaræ passim, difficultatem adaugent. Unde non exiguum in Artem incommodum irrepsit; ac noxium quandoque pro Cardiaco se ingessit.

2. Huic difficultati expediendę eximii Viri, Manardus, Fuchsius, Matthiolus, alii, suam operam impenderunt; ac inter cæteros incomparabilis Salmasius in Exercitat. Plinian. in Solinum Part. 2. circa hanc materiam disquisitionem instituit, multaque deduxit; at tenebras nondum in totum discussit: Allaborabimus igitur obscuritati residuæ, si pote est, lucis aliquantillum affundere.

3. *Saccharum* Latinis quod appellatur, ac Barbaris *Zuccharum*, Arabibus ac Turcis etiamnum *Suckar*, Persis ac Indis *Schakar* & *Sakar* vocatur, Dioscoridi σάκχαρον, Galeno σάκχαρ; Recentioribus Græcis, Salmasio teste, σάκχαρ & σάκχαρι, (ut μέλι,) Hesychio σάκταρον dicitur.

4. Est

4. Est autem *Saccharum*, Dioscoride teste, libr. 2. cap. 104. *mellis concreti genus*, quod *in India* & *fœlici Arabia super Arundines* (ἐπὶ τῶν καλάμων,) reperitur, *consistentiâ Sali simile*, ac *dentibus* etiam *Salis modo fragile*. Ubi Jan. Ant. Saracen in Schol. *Saccharum Priscorum*, inquit, quod Archigenes à Salis similitudine *Sal Indicum* appellavit, ex iisdem arundinibus ex quibus & *nostrum* excipiebatur: Idcirco μέλι καλάμινον (*mel arundineum*) Arriano dictum: Sed *illud*, inquit, *sponte extra arundines*, jam senio confectas, *lachrymæ* aut *gummi modo concrescebat*; hoc *nostrum succus* est, è fusis ipsis arundinibus expressus: qui quidem coctus in formas pyramidales hodie cogitur.

5. Galenus de simpl. medicament. facult. libr. 7. cap. de Melle, *Sacchar*, inquit, ut vocant, quod *ex India* atque *felici Arabia* convehitur, πεειπήγνυται μὲν ὥς φασι καλάμοις, *accrescit quidem*, *ut ajunt*, *circa calamos*, & ipsum

mellis eſt *ſpecies*, minùs certè noſtrate dulce, inquit, ſed adſimiles ei vires obtinens, quoad abſtergendum, deſiccandum, & digerendum: Porrò quatenus nec inimicum ſtomacho eſt, ut noſtras, nec ſitim affert, eatenus ab illo ſubſtantiâ differt. Similiter inter detergentia Medicamenta nominat *Saccharum*, 8. Meth. Med. cap. 4.

6. Paulus Æginetа l. 2. c. 54. *Sacchari* ad linguæ ſcabritiem meminit, ex Archigenis autoritate, ſub nomine *Salis Indici*, his verbis: Archigenes autem docuit & *Sal Indicum*, quod colore quidem & ſubſtantiâ nihil à communi diſſidet, *ſapore* verò *mellitum* eſt, lentis inſtar vel ad ſummum fabæ quantitate comeſtum, affatim humectare.

7. Similiter Avicenn. libr. 2. Can. cap. de Sacchаro, meminit *Sacchari* cujuſdam, quod dicit *reperiri ſuper arundinem inſtar Salis*: Et l. 4. Can. fen. 1. tract. 2. capit. 22. ad aſperitatem Linguæ commendat *Salem qui aſportatur ex India*;

India; quem inquit esse *in colore Salis*, & *dulcedine Mellis*.

8. Plinius libr. 12. N. H. c. 8. *Saccaron*, inquit, & *Arabia* fert, sed laudatiùs *India*: Est autem *mel in harundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile*, amplissimum nucis avellanæ magnitudine, ad Medicinæ tantùm usum. Hunc locum corrigit Salmasius, ac distinguendum vult hoc modo, *in harundinibus collectum gummium modo, earundem*, &c. nempe, est succus melleus, ex arundinibus exsudans, iisdemque *gummium modo adhærescens*, dum calore Solis induratur, sicque concretus *Salis* effigiem repræsentat.

9. Seneca Ep. 84. Ajunt inveniri *apud Indos mel in arundinum foliis*, quod aut *ros illius cœli*, inquit, aut ipsius *arundinis humor* dulcis & pinguior gignat. Nempe dubitavit an *Saccharum* illud sit ipsarum *arundinum succus concretus*, seu super folia arundinum, vel calamos

 ipsos,

ipsos, coactus ac coagulatus; an verò *mel aëreum*, quod vulgo *Manna* vocatur.

10. Sed de quo dubitabat Seneca, id pro certo affirmat Alexander Aphrodisæus Probl. libr. 2. ubi, *Quod Sacchar* Indi appellant, inquit, *mellis coagulum* est: Sole cogente rores, convertenteque ad mellis dulcedinem: quod idem monte etiam Libano fieri certum est, inquit. Sic verò *Saccharum* illud *Veterum* planè pro eo quod *Manna* vocatur, ab Alexand. Aphrod. obtruditur.

11. Similiter Isidorus libr. 20. Originum, *Saccharum* pro *Manna* exhibet his verbis: *Antea autem mella de rore erant, inveniebanturque in arundinum foliis: unde Virgilius: Hactenus aërii mellis cælestia dona. Siquidem hucusque in India & Arabia reperitur coagulatum ramis inhærens in similitudinem Salis.* Adeòque & hic planè *Saccharum Priscorum* cum *aërio melle*, seu nostro *Manna*, confundit.

dit. In eundem errorem delapſus eſt Avicen. circa *Sacchari* quoddam *genus*, quod *Suckar Al-Oſcher* vocat peculiari capite libr. 2. Can. dum interim *Veterum Saccharum* non ignoravit *à Manna diſtinctum*, utpote cùm de *Manna*, ejuſque ſpeciebus, peculiaribus capitibus pertractet libr. 2. Can. Sed de illo *Suckar Al-Oſcher* agemus inferiùs.

12. Revera autem res omnino diverſiſſimæ ſunt Saccharum *Veterum*, noſtraque *Manna*: ut rectè notatum à Matthiol. ad capit. 75. libr. 2. Dioſc. *Hæc* namque *ros* eſt *melleus* in plantas decidens; at *illud ſuccus melleus*, ex arundinibus exſudans, ac gummi in modum concreſcens: Promanat autem hic *Saccharinus liquor*, ſeu tenuior præſtantiorque medullæ arundinum ſacchariferarum portio, non tam ex foliis, (ſuper quæ *Manna* potiſſimùm decidit, vel obſervatur ſi decidat,) quàm ex ipſis calamis; idque vel è latere, ſponte aut per inciſionem aperto, vel

per internodiorum fissuras: ubi calore Solis concrescit, inspissatur, & indurescit; velut *Saccharum hodiernum* calore ignis addensatur.

13. Habent equidem *Saccharum Priscorum* ipsumque *Manna* nonnulla communia: Etenim 1. Utrumque ad commune *mellis genus* pertinet; estque sua utrique nativa dulcedo. 2. *Manna* quidem, (quæ in monte Libano frequens,) est quasi *mel sponte concretum* non ab apibus collectum; similiter & *Antiquorum Saccharum*; licet dissimili modo. 3. *Manna* alvi solutivam facultatem habet; similiter quodammodò *Saccharum* omne, (quamvis de vulgari id neget Salmasius,) imprimis verò illud, *quod super Arundinem invenitur, sicut Sal*, docente Avicenna, lib. 2. Can. capit. de Zaccharo: quamvis id Dioscoridi non nisi εὐκοίλιον dicatur, ideſt alvo conveniens sit, leniat, ac saltem alvum non adstringat.

14. Ve-

14. Veruntamen, *Saccharum illud Priscorum* non de nocte tantùm coagulatur, sed interdiu potissimùm; nequaquam vero incalescente Sole dissolvitur & evanescit, sed magis concrescit & induratur: secus atque *Manna*. 2. *Saccharum Priscorum* dentibus salis modò fragile est; Manna liquescit potiùs sub dentibus, ac lentescit 3. *Saccharum Priscorum* solis arundinibus adhærescit; *Manna* in varias plantas, quin & in lapides, ac terram ipsam decidit. 4. Rectè Nearchus apud Strabonem lib. 15. de *Calamis* refert, quod *mel facere* dicantur, absque apum opera, hoc est, ut Salmasius exponit, mel illud gigni ex ipsa arundine, seu arundines ex se ipsis mel facere, non accipere id è cœlo, ac non de cœlo rorem mutari.

15. Ita vidit Langius ex Madera in Hispaniam allatas arundines, quibus *Saccharum purum accreverat*, ut refert ipse Epist. 64. libr. 1. Ac Matthiolus, se non ita pridem accepisse refert

à Viris fide dignis, qui divi Thomæ Insulam; itemque Maderam lustrarant, adhuc iis in locis *Saccharum* inveniri, in arundinibus sacchariferis concretum, (illi non disimile quod arte fit & *Candidum* appellatur,) postquam *ab illis sponte emanârit gummi modo.*

19. Arabes quoque hoc *Saccharum Antiquorum* non ignorârunt: quod ipsum peculiarem Sacchari speciem constituerunt, à *Manna* (ut dixi) distinctam: Sic Avicenn. libr, 2. Can. Capite de *Suckar* (quod est in versione Cremonensis cap. 755.) inter reliquas *Sacchari species* mentionem facit *Sacchari* cujusdam, quod *Saljemâni* vocat, idest, *Sal-jemanicum*, seu *Arabiæ felicis* (*Iemen* enim Arabiam felicem denotat:) Adhibet autem Avicenna Latinum vocabulum *Sal*, ex quo vetustiore Autore nescio; ac unum compositum facit vocabulum *Saljemâni*, pro quo Interpres legit *Salimani*, vel *Sulimani*, unde *Sulimenum* reddidit. Est

autem

autem hoc *Sal-Iemanicum* illud ipſum *Saccharum*, quod Dioſc. Gal. & Plinius, reperiri teſtantur (loc. ſup. citatis,) *in Arabia felici.*

17. Ab hac verò ſpecie diſcernit Avicen. cit. loc aliud genus *Sacchari*, quod dicit *reperiri ſuper arundinem inſtar Salis*: Hoc nempe illud eſſe exiſtimo, quod *ex India* convehitur, cujus item meminêre prædicti Autores: Sic namque Avic. l. 4. Can. fen. 1. tr. 2. c. 22. *Salem* vocat, *qui aſportatur ex India, colore Salis, & dulcedine mellis*, quam ad aſperitatem linguæ commendat. Ipſeque Plinius quoque aliquod diſcrimen inter *Indicum* & *Arabicum Saccharum* conſtituit, cùm inquit cit. loc. *ferre Arabiam Saccharum, ſed laudatius Indiam.*

18. Videntur autem bonitate tantùm, ſeu nobilitate ac puritate hæc duo genera ab invicem differre; atque de utroque dici utrumque quod dicit Avic. ſc. *ſuper arundinem inveniri ſicut Sal, & aſſumi ab arundine ſicut gummi*: Hoc

enim ipso distingui videntur à *melle arundinis* ibidem dicto ab Avic. (quod & inter Sacchari species recenset,) ac *vulgari nostro Sacharo*. Nisi fortè *Sali Iemanico*, ceu peculiari speciei, competat *ab arundine assumi sicut gummi*; *Indico* verò, *super arundinem inveniri sicut Sal*: Namque de *Sale Iemanico* dicit magis lenitivum esse, ac imprimis *Al-fenîd* seu *Alpenîd* (quo *Saccharum Penidium* dictum indigitari non est dubium:) *Assumptum sicut gummi ab arundine* (quo idem illud *Sal Iemanicum* videtur indigitare,) oculum abstergere, &c. Alvum solvere imprimis id *quod super arundinem invenitur sicut Sal*; *Sal-jemanicum* verò, ac illud quod *rubrum* vocat, leniendi facultatem fortiorem habere.

19. Interim videtur quandoque Avicenna hoc universum *Sacchari* genus, quod *super arundinem reperitur*, dubium reddere, ac quasi id quoque inter Mannæ species reputari posse censeat,

ſeat, ſuſpicionem injicere. Etenim cap. ſeq. (quod in verſione Cremonenſis eſt 756.) aliud *Sacchari* genus traditurus, quod *Sucker* אלעשר *Al-Ooſcher* vocat, dicit quidem & de hoc ipſo, eſſe *ſicut fruſtra Salis*, ſed interim addit, ipſum eſſe *Mannam, quæ cadit ſuper Al-Ooſcher*. Sed de hoc genere *Sacchari* (ut vocatur) cùm circa id ipſum magni viri variè ſe torqueant, operæ pretium eſt, aliquanto pleniùs diſquirere.

20. Primò quidem circa ejus pronunciationem ſeu ſcriptionem multipliciter variant Interpretes: Cremonenſis *Albuſar* exprimit, Bellunenſis *Albaſſer*, alii, (ut apud Serapionem libr. Simp. cap. 50.) abjecto articulo præpoſitivo *Al*, pronunciant vel ſcribunt *Haboſcher*, ſeu *Haboſcer*, alii *Hoaſſer*; alii *Alhoſor*, alii *Aloſſar*, alii *Alhaſſer*, &c. Nec mirum, tantam in ſcriptione occurrere diſcrepantiam; quæ ut magnam partem, ita tamen non in totum à Scribariorum in obſcu-

ra voce exprimenda incuria vel temeritate profecta est: quippe orta plurimum à difficultate quæ est circa repræsentationem primæ literæ radicalis: Ea enim cùm sit gutturalis litera *Ain*, respondens Hebræorum ע, nullo charactere vel characteribus Europæorum exprimi apta est: dum itaque ea adjunctam habet vocalem *o* vel *u*, à nonnullis pronunciatur ut *Habo*, ab aliis *Ho*, ab aliis *Hu*, ab aliis O, &c. quin &, cùm vocales non sint de essentia dictionum, sed duntaxat pronunciationi inserviant, adeòque raró ab Orientalibus adnotentur; nonnulli pro *o* vel *u*, addiderunt *a* primæ radicali, ac pronunciarunt *Ha*: Vulgari modo eorum qui Hebræas literas tractant, pronunciari posset *Gno* vel potiùs *Ngo*, g consonante ut G Germanorum, seu Persarum aut Turcarum K punctatum; Nos facilitatis causa *Oo*, pronunciabimus: Secunda autem radicalis est *Schin*, valens *Sch*, seu *Sj*, unde

Ooscher

Ooscher vel *Ooschar* exprimimus, vel cum minori aspiratione *Ooscer*. Circa hanc vocem ac varias ejusdem pronunciationes, ipsumque illud *Sacchari genus* minùs cognitum, plurimus est Illustris Salmasius Exercitat. in Solin. part. 2. pag. 1312. & seq. contra Scalig. Exerc. 165. ut operæ pretium sit in rem ipsam pleniùs inquirere.

21. Est igitur *Suckar Al Ooschar*, teste quidem Avicen. *Manna cadens super Al Ooschar* (nempe plantam ita dictam, de qua inferiùs,) & *est*, inquit, *sicut frusta Salis*, (ubi sanè putem confundi toto genere diversa, *Mannam* scil. & *succum è planta exsudantem, concretum*:) *Estque in ipso*, inquit, *cum dulcedine, pauca stipicitas & amaritudo*, (ita namque vertendus textus;) Similiter Beitarides, *Saccharum quod in arborem seu plantam Ooscher incidit, frustuli Salis similitudinem referens*, inquit, *cum dulci sapore stipticitatis quippiam & amaritudinis habet. Et est ex eo*, inquit porro

Avic. aliud *Iemanicum* (id est *Arabiæ felicis*,) *album*; *aliud Higjazium*, (id est *Arabia Petraa*; *Higjâz enim Arabiam Petraam significat, sicut Iemen Arabiam felicem*: Interpres illud *Agizium* corruptè reddit,). *vergens ad nigredinem*: *Estque absterſivum cum ſtipticitate in ipſo, acuit viſum; confert pulmoni*: *Confert Hydropi cum Lacte Al-luſſâbh*: (ubi Interpres perperam vertit *cum lacte camelæ noviter fœta*; alii apud Serapionem habent *cum lacte Mandragoræ*, ſed fortè ne ſic quidem convenienter: eſt enim *Luſſâbh* Arabibus item illud ipſum, quod Gen. 30. vocatur דודאים *Doudaïm*, quod & illic minùs commodè *Mandragora* vertitur; Perſis *Deſt-ambouje dicitur*: ſed de hoc alibi egimus:) *Non facit ſitim*, inquit porrò Avicenna, *ſicut reliquæ ſpecies Sacchari quoniam dulcedo ejus eſt pauca; eſt bonum ventriculo & hepati; & confert renibus & veſicæ.*

22. Apparet itaque Avicennæ *Saccharum Al-Oſchar Manna ſpeciem* eſſe; (in quo

(in quo longè aberravit à vero, ut patebit in progressu;) videturque interim omnino illud *Sal Iemanicum*, de quo cap. præced. inter species Sacchari dixerat, diversum esse ab hoc *Sacchare Iemanico*, quod hîc Mannam esse contendit, dum hoc speciem *Sacchari Al-Ooscher*, distincti nimirum à præcedentibus speciebus, constituit: At malè igitur hoc *Saccharum Al-Ooscher*, seu hanc *Mannam*, dicit esse *sicut frustra Salis*, in quo denuò id, quod à priori voluit distinguere, cum eodem, vel saltem cum *Sacchara Indico*, quod dicebat *inveniri super arundinem sicut Sal*, confundit.

23. Serapio libr. de Simp. capit. 50. ex Abn Mesuai, *Saccharum* inquit, quod affertur ab *Al-Iemen*, est *simile Mastichi*, & dicitur *Zucharum Haoscher*; estque bonum stomacho, propter paucam *amaritudinem* quæ in eo est. Ubi videtur hoc ipsum quod *Saccharum Hoascer* seu *Al-Oascer* vocatur, quod-

que

que dicitur eſſe *ſimile maſtichi*, accipiendum pro eo, de quo dicebat Avicenna cap. præced. *aſſumi ſicut gummi ab arundine*; Atqui ſic denuò id ipſum quod Avicenna iſtic *Sacchari* ſpeciem faciebat, adeòque à *Manna* (de qua aliis Capitibus agit,) diſtinguebat, cum illa *Mannæ ſpecie* confundi videtur, quæ *Maſtichina*, à granorum ſimilitudine, ſeu *Granata*, appellari ſolet: Econtrà denuò *Mannæ* non reſpondent quæ ex eodem Autore citat Serapio his verbis: *Taberzet* (id eſt Saccharum puriſſimum,) *non mollificat ſicut Saljemeni*, (id eſt *Sal Arabiæ felicis*;) *& Zucharum quod affertur ab Hegen* (corruptè pro *Higjâz*, ideſt *Arabia Petræa*) *ſimilatur fruſtis Salis*: Ubi ſanè utraque ſpecies *Sacchari Al-Ooſchar*, ab Avicenna tradita, *Sali* aſſimilatur, quod utique Mannæ non competit; ſed congruit idipſum planè *Saccharo Arabico* Dioſcoridis, Galeni, Plinii, atque illi Saccharo quod & ipſe Avicenna

cap.

cap. præced. inter species Sacchari *Sal Iemanicum* appellavit.

24. Idem Serapio, ex Isaac Ben-Sulaimen, de *Sacchara Al Ooscher* ita loquitur: *Zucharum ex regionibus Heigen* (corruptè pro *Higjâz*,) *quod nominatur Zucharum Haoscher, est minus speciebus aliis in dulcedine, & plus in siccitate*; Ex alio Autore addit, *quando bibitur non facit sitim, propter paucam dulcedinem.* Hoc utique illud Saccharum, quod commendat Avicenna ad Linguæ æstum seu adustionem, libr. 3. Can. fen. 6. tr. 1. cap. 19. ubi Interpres reddit *Saccharum Albaizen*; at textus ipse habet *Zuckar Higjâz*: Consimile hoc illi est, quod Avicen. libr. 4. Can. fen. 1. tr. 2. cap. 22. *Salem* vocat, *qui asportatur ex India*, quem istic ad asperitatem Linguæ commendat. At sanè hoc Zaccharum perperam pro *Saccharo Al-Ooscher* habetur, ut patebit in progressu.

25. Apparet interim ex prædictis, Arabes ipsos *Sacchari Priscorum* non ita

plenam

plenam habuisse cognitionem, quin id multoties pro *Manna* habuerint. Cur autem amaritudo & stipticitas insit *Sacchara* illi *Iemanico*, quod Mannæ speciem facit Avicenna, ratio est, quod Manna assumat virtutem ejus super quod cadit, dicente Avicenna cap. de Manna: Quia itaque illa *Mannæ* species, quam pro *Sacchara Al-Ooscher* accipit Avicenna, aliique nonnulli Arabes, incidit in plantam aliquam amaritudine & astrictoriâ facultate præditam, de hisce in sapore nonnihil participat.

26. Cæterùm, quod attinet plantum *Al-Ooschar* non videtur hæc omnibus Arabibus æquè nota fuisse, cùm non ubivis illius sit proventus, sed in Ægypto potissimùm, Syria, ac Palæstina: Hinc Avicenna, ac nonnulli alii Arabes, qui eam minùs habuerunt exploratam, cùm *Saccharum Al-Ooschar* non magis novissent, crediderunt id esse *Manna* speciem, quæ super

per

per plantam *Al-Ooſchar* potiſſimùm decidat; velut in Avicennę patria Manna potiſſimùm cadit ſuper plantam quandam Al-Hâgj dictam, ipſo teſte: Cùmque *Sal-jemanicum*, ſeu *Saccharum Arabiæ felicis*, hoc eſt, *Saccharum Arabicum* Dioſcoridis, Galeni, Plinii, non noviſſent magis exactè, (veluti & ipſe Avicenna vocabulum *Salis* Latinum ipſi tribuit, undecunque acceptum,) exiſtimârunt, illud *Saccharum Arabiæ felicis* dictum, eſſe *Saccharum Al-Ooſchar*: Unde nonnulli, teſte Clariſſ. D. Golio, in Lexico Arab. volunt eſſe *Saccharum rubrum, roris inſtar in eam arborem* Ooſchar *incidere ſolitum*: Aliis verò, teſte eodem Cl. D. Golio, eſt *Al-Ooſcher arboris ſpinoſæ & gummiferæ ſpecies; cujus fructus tubercula inflata, quæ & hoc nomine appellantur, alba*: qui hactenus ad verum propiùs accedunt; dum verò addunt, *dulcia Sacchari inſtar*, (unde *Suckar Ooſchar dicatur*,) planè à vero aberrant.

27. Ex

27. Ex Autore aliquo Arabe olim notavi *Al-Ooscher* esse Arborem, cujus fructus vocetur *Cherfaa*, (finali ي) credo malè scriptum pro *Chervaa*, quod *Ricinum* significat, teste Ibn Beitare, (de quo apud Diosc. libr. 4. cap. 164.) qui ipso etiam Dodonæo referente *Keruagh*, & *Cherua major* dicitur, atque è cujus semine oleum paratum vocatur *oleum de Cherua*: à Barbaris autem Arabum Interpretibus vertitur passim *Cataputia*: Certè *Ricinus* ipse *Cataputia major* vocatur; (nisi fortè potiùs *Catapotia* dicatur, quod nempe semen pilulis, quæ *Catapotia* dicuntur, simile sit inclusum:) Ac testatur Serapio, secundùm alium aliquem autorem *Haboscher* esse speciem *Tithymalli*: *Cataputiam* utique *Tithymalli* speciem esse notum est.

28. Apparet utique ipsis etiam Arabibus plantam *Al-Ooschar* dubiam esse: (cujus quidem speciem aliquam *Taxum* constituit Avicen. libr. 2. Can. capite peculiari de *Ooschar*) ut mirum

non

non ſit, apud varios Autores per *Sacchari Al' Ooſchar* appellationem diverſa, quin imò maximè diſſentanea, confundi. Videtur autem Abrianiſa apud Serapionem per *Al-Ooſcher* intelligere plantam aliquam, quæ non niſi æquivocè dictum *Saccharum* proferat, ſeu *Lac aliquòd* è planta exſudans, inſpiſſatum, quod non niſi externâ facie Saccharum repræſent, dum interim viribus à Saccharo longiſſimè diſtat. Equidem Sacchari nomen, Salmaſio teſte, multis etiam aliis ſuccis tribuitur, ſed non niſi congelatis, ita dixerim, inquit, ſeu coagulatis, ut *Sacar Mambu*, *Sacar Tengæ*, quorum illud ſponte naſcitur, hoc factitium ex liquore quodam palmeo, quod ab Indis *Iagara*, vel *Iagra* vocatur.

29. Dicit autem Abrianiſa, *Haboſcer* ſeu *Ooſcher habere lata folia*, (folia Platani Ricino tribuit Dioſc. at majora,) *& naſci uno tempore*, (ſcil. annuam eſſe plantam, æſtivam, quod etiam Rici-

Ricino competit:) *Et habere Zucharum*, (Lacteum ſuccum inſpiſſatum proferre, ſcil. qui teſte Bellon. libr. 1. Obſerv. cap. 76. in officinis pigmentariorum Conſtantinopoli vulgò appellatur *Tigala*, Linguâ Græca vulgari credo, quaſi τὸ γάλα, vid. hac de re Salmaſius part. 2. Exercitat. in Solin. pag. 1312.) *quod Saccharum egreditur*, inquit, *ab oculis ramorum, & à locis foliorum ejus*, (velut *Saccharum Veterum*, quod *Sal Indicùm* vocatur, ſimiliter ex Arundinibus exſudat, atque ita concreſcit:) *Et in Sacch aro ejus eſt amaritudo*, inquit, (credo intenſam ſatis, cùm cauſticam facultatem habeat, ut mox ſubjungit;) *Et egrediuntur ab eo mala ſicut teſticuli camelorum*, (hæc poma non malè congruunt tuberibus Ricini Americani,) *& egreditur ab illis pomis res quadam adurens, ita ut non poſſit fieri cauterium cum re meliori eâ*; (certè Tithymallorum ſpecies cauſticâ vi præditæ ſunt, atque Lac fundunt,) hinc,

quando

quando inciduntur folia Habofcher, emittunt lac quod colligitur in Majo menfe, & ponunt in eo coria, & non remanet in illis pilus: Reliqua porrò, quæ Abrianifa in plantæ defcriptione refert, non malè Ricino congruunt. Eft autem *Ricinus* ea planta Jonæ Prophetæ, quæ brevi tempore fuccrefcebat, at quam erofam à verme indignabatur.

30. Nifi potiùs hoc *Saccharum Al Hoofcher*, fit fuccus infpiffatus *Apocyni Syriaci*, feu *Palæstini*, vel *Ægyptiaci*, quod & *Periploca Syriaca* dicitur, de quo vid. Dod. Herb. l. 13. c. 20. in Addit. ubi & *Saccharum Al Hoofcher* ex hac planta provenire ait; ipfaque plantæ defcriptio planè congruit fuperiùs traditis: Plantam inquit Lacte plenam effe, quod fponte exfudat, magnâ quantitate, fenfimque infpiffatur, fimilitudinem cum gummi tragacantha quodammodo acquirens: Ex floribus loco fructus prodire duo poma feu facculos quafi, qui tefticulos referant;

rant; hinc nomen ipsis tributum *Beid-alsar*, ut est apud Prosp. Alpin. q. d. *Beid Al-Ossar*, id est *ovum Ossar*.

31. Cùm itaque hoc *Saccharum Ooschar* verum *Saccharum* non sit, ut neque pro *Manna* potest haberi; utique plantam *Ooscher* Avicennæ, unde ipsius *Saccharum Al-Ooscher*, quod *Mannam* esse ait, denominatur, aliam aliquam plantam esse existimandum est; vel *Saccharum Al-Ooscher* non nisi æquivocè *Saccharum* statuendum est. Nisi fortè eodem *Sacchari* nomine indigitari credendum sit, & *Mannam* quæ super illam plantam decidit, & *succum* ex eadem *exsudantem*, *Sacchari* in modum concretum.

32. Certè fieri non potest ut *Lac Al Ooscher*, quod ex incisis plantæ foliis effluit, vel ex iisdem exprimitur, inter caustica principatum obtineat, & efficacissimum sit psilothrum ad coria depilanda; at pars tamen ejusdem Lactis, sponte concreta in ipsa planta,

planta, seu *Sacchrum* illud *Al-Ooscher*, conferat pulmoni, non faciat sitim sicut reliquæ species sacchari, sit bonum stomacho & hepati, conferat renibus & vesicæ, ut tradit Avic. Quamvis equidem nonnulla sint, quæ non parem virtutem exerant intus sumpta, & extus admota, velut sinapi, quod, cùm quarto gradu calefaciat & exiccet, sitque vesicatorium, inter condimenta tamen sumptum nihil nocet.

33. Omnino autem & *Lactis*, & *Sacchari* ex eadem planta *Ooscher*, meminit Isaac ben Sulaimen apud Serapionem de Simpl. cap. 50. *Zucharum*, inquit, ex regionibus Heigen (Higjâz, idest Arabiæ Petrææ,) quod est nominatum *Zucharum Haoscer*, est minus speciebus aliis in dulcedine, & plus in siccitate, quare non aufert sitim, inquit, sicut aliæ species zuchari, (secus atque Avicen.) & habet operationes laudatas in doloribus renum: Et quando bibitur cum Lacte Mandra-

goræ (*Luffâbh*) confert Hydropisi. Et *Lac* quidem *Haoscer*, inquit, quando bibitur cum lacte Mandragoræ, facit hanc eandem operationem, & est fortioris operationis & magis apparentis, nisi quod est magis periculosum habentibus complexionem calidam. Ita ergo omnino *æquivocè* tantùm vocatur *Saccharum*: Videtur autem esse Medicamentum aperiens, deobstruens, abstergens, purgans, ac imprimis serosos humores educens: quæ certè & *Ricini granis* competere patet ex Fernelio l. 5. Meth. cap. 12. aliisque.

34. Ad *Sacchari veri* Historiam revertamur: *Diversa Cannarum genera* esse statuit Illustris Salmasius, ex quibus *Veterum* colligebatur, atque è quibus fit arte *nostrum Saccharum*. Hæ modicæ sunt, & Papyro similes, inquit, ex quibus *hodiernum Saccharum* coctione conficitur, succo priùs expresso: Amplissimæ illæ in quibus nascitur *Saccharum Mambu*, quod verum ac legiti-

mum

mum eſt *Saccharum Priſcorum*, inquit.

35. Ita Chriſt. à Coſta libr. Arom. & Medic. in India naſcentium, capite de *Tabaxir*: Inveniuntur interdum hæ arbores, inquit, ſive Arundines, vocatæ Mambu, in quibus naſcitur *Tabaxir*, (ſic hodie vocant *Saccharum* quod ex illis Arundinibus colligitur, de qua appellatione inferiùs,) tantæ magnitudinis & craſſitiei, ut ex ea cymbas faciant, quæ binos viros capere poſſint, non quidem eas excavantes, ſed relictis ſolùm duobus internodiis excidentes.

36. Hoc nempe eſt quod refert Plinius, libr. 7. capit. 2. In India tradi Arundines tantæ proceritatis, ut ſingula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant. Ac libr. 16. capit. 36. Harundini quidem Indicæ arborea amplitudo: navigiorum etiam vicem præſtant, ſi credimus, inquit, ſingula internodia.

37. Garcias ab Horto (Proregis Indiæ Medicus, atque Regionis rerumque ibidem αὐτόπτης,) Arom. & Med. Hist. libr. 1. capit. 12. Id quod nunc vulgò Arabibus & Turcis *Tabaxir* (de quo dicemus inferiùs,) Indis vocari *Sacar Mambu* aït, quasi dicas *Saccharum de Mambu*, inquit, quoniam Indi arundines sive ramos illud proferentes *Mambu* vocant: Attamen nunc etiam, inquit, *Tabaxir* vocare cœperunt, quoniam eo nomine petitur ab Arabibus, Persis, & Turcis, qui id mercimonii causâ ex India in suas regiones exportant.

38. Arbor autem, in qua gignitur *Sacar Mambu*, Garciâ describente, interdum magna est, & instar Populi procera; interdum minor, ramos ut plurimum erectos, frequentibus nodis distinctos, palmi tamen longitudine ab invicem dissitos, habens; folium olivæ longius: *Inter singula internodia liquor quidam dulcis generatur,*

crassus

crassus veluti amylum congestum, *& simili candore*, interdum multus, nonnunquam verò perpaucus: sed non omnes Arundines seu rami eum humorem *continent*, inquit; at ii duntaxat quos Bisnagar, Batecala, & pars Provinciæ Malabar profert. Hic autem *liquor concretus* interdum *nigricans* & *cinereus* invenitur, sed non ideo improbatur: Nam aut ob nimiam humiditatem, aut quod diutiùs *ligno inclusus permanserit*, hunc sibi colorem conciliat; non autem ob arborum incendium, veluti nonnulli putant: siquidem in nonnullis ramis, quos non contingit ignis, niger etiam invenitur.

39. Ex hac descriptione Garciæ colligitur, non generari *Sacar Mambu* in arborum majoribus truncis, sed in minoribus earundem ramis, quamvis nec in omnibus, nec omnibus in locis: Certè singularem illius Sacchari raritatem esse, inde colligere licet, quod

magno emi testetur Garcias cit. loc. ac commune ejus pretium in Arabia esse, ut *pari argenti pondere ematur*, quod equidem raritati Sacchari Veterum videtur respondere.

40. Veruntamen, aliquid discriminis inter *Veterum Saccharum* atque hoc *Sacar Mambu* intercedere videtur: Etenim Saccharum Veterum Dioscoridis, Galeni, Plinii, *arundini extrinsecus gummi* vel *salis instar accrescebat*; ut patet ex allegatis locis: at verò *Sacar Mambu* intus in cavitate *continetur*, seu *inter internodia*, ut habet Garcias, generatur concretus esse liquor; ac colorem mutat prout *diutiùs ligno inclusus permanserit*: præterea, *Saccharum Veterum* dentibus *salis modo fragile* existebat; at *Sacar Mambu* est *liquor veluti amylum* congestus, adeòque fragile non est, sed potiùs lentescens atque ore liquescens.

41. Verisimile interim videtur, eundem liquorem, qui in arundinum civita-

civitatibus amyli instar coagulatur, parte aliquâ sui tenuiore, (adeòque minùs frequenter,) vi radiorum solarium elici, transudare, ac temporis tractu concrescere in consistentiam atque duritiem Salis; sicque ipsi ligno, seu nodis arundinum, gummi instar extrinsecus adhærescere: quod fortè demum *verum Veterum Saccharum* habendum sit. Cæterùm longè diversissimum esse hoc *Saccharum Mambu* à *Saccharo nostro* seu *vulgari*, patebit inferiùs.

42. Interea, circa *Tabaxir Arabum*, (quod Persicum est, atque à Persis ad Arabes traductum, pronunciandum autem potius *Tabâschir*, per *sch*, estque prima *Tth*, existente *Alif* post B.) cùm hoc nomine nunc Indis denotetur *Saccharum Mambu*, ut refert Garcias ab Horto, necessaria hîc occurrit disquisitio: Equidem à Ger. Cremonensi apud Rhasen ad Almansorem lib. 3. cap. 36. itemque in Avic. lib. 2. Canon. cap. de

Tabaſchîr (quod eſt in Latino c. 616.) redditur *Tabaſchîr Spodium*; periculoſo ſanè errore, ſi intelligatur metallicum illud (cùm aliud *Spodium* verum non ſit,) de quo Dioſc. libr. 5. cap. 85. quod non niſi in externis affectibus adhibitum fuit à Medicis vetuſtioribus: cùm tamen *Arabum Tabaſchîr* paſſim ab hiſce in affectibus internis adhibeatur.

43. Utique *Tabaſchîr Arabum*, cardiacis medicamentis annumeratur ab Avic. lib. de Cord. Med. tract. 2. itemque libr. 2. Can. Et ad cohibendum ſanguinem in alvi fluxu commendatur libr. 3. Can. fen. 16. tr. 1. capit. 4. Velut item *Trochiſci de Tabaſcîr* præſcribuntur ab eodem, libr. 5. Sum. 1. tract. 8. intus adhibendi ad reſtinguendam febrem acutam, tertianam, cholericas, &c. quæ ſanè in *Spodium Antiquorum* nequaquam poſſunt congruere. Similia de *Tabaſchêr* ex variis Autoribus refert Serapio, lib. Simpl. cap. 342.

cap. 342. ubi tamen corruptè legitur apud Interpretem (vitio Typographi vel Scribariorum,) *Sataiſchir*, pro *Tabaſchîr*: Speciatim ex Rhaſe dicitur ibidem, fortificare ſtomachum, & conferre ſyncopi, & cardiacæ calidæ, quando datur in potu ex eo.

44. Sed neque admittenda eſt ſententia Salmaſii, qui poſt Garciam, & alios, exiſtimat *Arabum Tabaſchîr*, eſſe *Saccharum Mambu*, quod interim cum *Veterum Saccharo* unum idemque facit. Etenim, *Saccharum Veterum* quatenus adſimiles melli vires habet in abſtergendo, & digerendo, Galeno teſte, *calidum* utique habendum eſt; idemque affatim *humectare* dicitur Æginetæ; unde *nec ſitim affert*, veluti vulgare mel, Galeno rurſum atteſtante, locis ſuprà citatis: At *Tabaſchîr frigidum* exiſtit in 2. grad. *ſiccum* in 3. docente Avicennâ locis allegatis; ſeu, ut Serap. refert ex Rhaſe, *frigidum* & *ſiccum* eſt in tertio gradu.

45. Præterea *Saccar Mambu*, seu *Veterum Saccharum*, *dulcis* liquor est; in colore Salis, & *dulcedine mellis*, ut ex Avicenna citavimus; unde *mellis species* à Galeno, seu *mellis concreti genus* à Dioscoride constituitur: At *Tabaschîr amaritudinem* aliquam habet, teste Avic. libr. 2. Can. in proprio Capite: Cujus etiam *amaritudinis in sapore* meminit Serapio ex Rhase, lib. Simpl. cap. 342.

46. Quin &, cùm *Tabaxîr* passim *adstrictoriam facultatem* habere dicatur, ab Avicen. aliisque; *Saccharo* tamen omni *leniendi facultatem* tribuunt; imprimis verò illud habere *solutivam facultatem*, inquit Avic. (lib. 2. Can. cap. de Zuckaro,) quod super arundinem invenitur instar Salis, hoc est, *Antiquorum Saccharum*; Quin & Diosc. suo Saccharo *resolvendi* seu *discutiendi* facultatem tribuit, quippe illitum ea discutere aït, quæ pupillis tenebras offundunt; dumque assimiles melli habere vires,

quoad

quoad abstergendum & digerendum Galeno dicitur, utique adstrictoriâ facultate frigidâ præditum non est.

47. Insuper *Sacchari Veterum*, (quod cum *Saccharo Mambu* idem habetur, aut eidem non admodùm dissimile est,) ejus inquam, *quod super arundinem invenitur sicut Sal*, quodque *sicut gummi ab arundine assumitur*, mentionem facit Avicen. in capite peculiari de Suckaro; idemque inter Suckari species collocat; At à Sacchari speciebus suum *Tabaschîr*, quod seorsim tradit, eo ipso manifestè distinguit. Similiter Serapio, aliique Arabes.

48. Hoc addo, *Tabâschîr* Avicennæ dicuntur *adustæ radices Cannarum Indicarum*, seu earundem cinis, (dum enim impulsu ventorum extremitates earundem colliduntur inter sese, incendium concipere dicuntur, referente Avicenna;) Atqui *Veterùm Saccharum* gummi vel Salis instar ipsis arundinibus (integris) adhærescit, teste

Dioſcoride, Galeno, Plinio, aliis, etiam iis quas ignis non tetigit, atteſtante Garcia ab Horto.

49. Denique inter *Cannam Avicennæ*, cujus radices aduſtæ *Tabaxîr* eſſe dicuntur, & *Arundinem Indicam*, quæ Saccharum fert, plurimum intercedit diſcriminis; Hæc quidem Avicennæ diſertè vocatur *Kadſh Aſ-Suckar*, *arundo Saccharina*, (in capite de Suckaro;) Illa verò *Al-Khanna*, vel (ut alibi) *Al-Khannah* (in cap. Tabaſchîr, lib. 2. Can.) Eſt autem *Khanna*, ſeu *Al-Khanna*, propriè *Ferula*, cujus variæ ſpecies ſunt: Ita namque *Silphium* ſeu *Laſerpitium*, *Sagapenum*, *Euphorbium*, *Galbanum*, *Hammoniacum*, gummi ſunt, ſeu inſpiſſati ſucci, ex *arboribus ferulaceis* ſui generis provenientes, in Syria, Armenia, Media, Lybia, Mauritania, &c. ut conſtat apud Dioſ. lib. 3. c. 94. 95. 96. 97. 98.

50. Hinc & τὸ *Khannah* propriè pro ipſo *Galbano*, *Bârzed* Perſis dicto, accipitur,

tur, (planta scilicet pro gummi ex ipsa planta resudante,) ut alibi monuimus: quandoque & pro *Hammoniaco* occurrit: Quippe Beitaridi *Al-Khanna* in Mauritania seu Andalusia vocatur *Kelach*; at *Kelach* Ægyptiis significat idem quod *Oschack* Persis, pro quo Arabes dicunt *Woschack* & *Woscahgj*, quod denotat *Hammoniacum*: Eaque Ferulæ species, unde *Hammoniacum* provenit, propriè *Tarthouth* Arabibus dicitur, docente Avicennâ in cap. de *Oschack* seu Ammoniaco, ubi Interpres simpliciter *Ferulam* vertit.

51. De *Tarathît* (quod est Plur. ꝰ *Tarthouth*,) peculiari capite agit Avicen. dicitque esse frusta ligni nodosi vel corrugati, (ut vertit Interpres,) seu corrupti potiùs, aut fortè fungosi; virtutem habere balaustiæ, stipticam, stringere, & retinere fluxum sanguinis, ac convenire dysenteriæ, bibitum in lacte caprarum. &c. (Bellunensis *Hypocistidem* interpretatur, Syl-

vaticus fungum inquit esse, qui nascitur in radice rosæ caninæ, sive secundùm Avicennam, inquit, barbæ hircinæ, cujus succus exiccatus sit *Hypocistis*: Sed præter mentem Avic.) Illa utique viribus saltem non malè conveniunt cum *Tabaschîr*. Quicquid sit, teste quidem Avicenna, *Tabaschîr* provenit à quadam Ferulæ specie, in India nascente, habeturque pro ejusdem radicibus adustis, seu earundem cinere.

52. Plurimum autem inter *Al-Khannam*, idest *Ferulam*, & *Arundinem*, intercedere discriminis, vel exinde liquet, quòd de *Arundinis* quidem speciebus agat Dioscorides l. 1. c. 114. de *Ferula* autem seorsim lib. 3. cap. 91. Perperam itaque *Canna* passim cum *Arundine* confunditur: Quod ex parte quidem agnovit Andr. Bellunensis in Interpretatione Arab. Nominum, at planè rem expedire non potuit, dum inquit, *Alchanna* seu *Alcona sunt arbores subtiles longæ, habentes nodos sicut*

Canna,

Canna, (ideſt arundines,) *ſed differunt eo quod hujuſmodi Alchanna non habeat cavitatem, & Arabes utuntur eis loco lancearum; & ex his reperiuntur arbores groſſæ, ex quibus conficiuntur vaſa magna utilia. Et ſpodium*, inquit (id eſt *Tabaſchîr*, ut vulgò vertunt,) *fit maximè ex radicibus arborum prædictarum ſubtilium combuſtis.*

53. Diſtinguendum verò inter *Al-Khanna*, per *Kaf* ſeu Kh, de quo hîc, & *Al-HHanna*, per Lit. *Hha* gutturalem, quod & *Alchanna* Interpretes pronunciant, Sylvaticùs *Henne* habet; Hoc enim denotat *Cyprum*, de quo Dioſc. lib. 1. c. 124. atque de hoc peculiari capite agit Avicenna. Prætermittendum quoque non eſt, quòd in Lexico Perſ. dicatur *Tabaſchîr* à Turcis vocari *Tebeſcîr* (primâ Literâ T. ſimpl.) At Turcæ *Tebeſchîr* vocant *Cretam* puriorem ſeu præſtantiorem.

54. Saltem apparet ex dictis, nec Arabibus, nec Perſis, nec Turcis vocem

vocem *Tabaſcîr* propriè notam eſſe pro *Sacchoro Mambu.* Nec verò eſt quòd propriam ſeu geminam ש *Schîr* in compoſitione ſeu terminatione reſpiciamus ſignificationem, quod nempe Perſis *Lac* deſignat: Id enim ipſi Avicennæ utique (qui ipſe fuit natione Perſa,) incognitum eſſe non potuit; atqui nihilominùs *Tabaſchîr radices Cannæ aduſtas* eſſe dicit. Niſi fortè velimus intelligere ſuccum, per aduſtionem Cannarum ſeu Ferularum ad radices earundem exſudantem, ibidemque concretum; qui *Tabaſchîr* vocetur: ut ita *Tabaſchîr* ſit concretum quid circa radices cujuſdam Ferulæ, atque ex iiſdem quaſi exſudans, aut fortè excreſcentia quædam fungoſa, (veluti radicibus Cyſti adnaſcitur aliquid mali punici cytino ſimile, quod *Hypociſtis* dicitur, Dioſc. lib. 1. c. 127.) quæ in cineres redacta in uſum Medicum veniat.

55. Equi-

55. Equidem Persis *Tebâh* vel *Tebeh*, *putridum* denotat, ut & *devastatum*, *destructum* (si fortè id quippiam ad significationis originem investigandam queat conferre;) *Schîr* verò, seu *Schêr* potiùs propriè, quidem *Lac* significat, sed & omnem *succum qui aliunde* vel *suâ sponte* vel *pressione promanat*, itemque *lachrymas* inspissatas; ut exposuimus in dissert. de Manna. Ut adeò deceptus fuerit magnus Salmasius, cùm existimavit *Schîr* seu *Schêr* Persis dici Græcorum ξηρὸν: Græci enim, inquit, ξηρὸν & ξηρίον propriè vocant medicamentum aridum, & quod in pulverem redigi potest vel vice pulveris inspergi: tale est, inquit, *Saccharum Mambu*. Erroris causa fuit, quòd viderit Vir Illustris, *Schîr* Persarum à Barbaris Interpretibus exprimi *Xir*, per X, quod illi Interpretes certè non pronunciant more Latinorum, quibus X valet Græcorum ξ, sed more Hispanorum quibus valet *Sch*, vel Sj. Namque

que reverà illud Xîr exprimitur Persarum literâ *Schin*, quæ valet *Sch*. Modestè autem subjungit vir summus, *Viderint Linguæ illius periti*: Conjecturam duntaxat suam voluit exprimere.

56. Cæterùm eadem vox Persarum, quæ pronunciata ut *Schêr*, (nempe vocali paulùm ad *e* vergente,) significat *Lac*, pronuntiata ut *Schîr*, sono penitus vergente ad *i*, *Leonem* significat: An fortè hinc ratio petenda, cur Græci recentiores *Hammoniacum* itemque *Laserpitium*, (quæ item inspissati quidam succi, seu Gummi quædam species sunt,) λεοντόγαλα *Lac Leonis* vocent, teste Salmasio? scilicet κατ' ἐξοχὴν hisce succis tribuendo, quod pluribus commune est, ac interim indigitando tale *Lac*, seu talem *succum inspissatum*, qui Persis sub eadem appellatione *Leonem* significet: id quidem aliis perpendendum relinquimus.

57. Patet ex prædictis, *Tabaxîr* Avicennæ aliorumque Medicorum Arabum,

Arabum, nequaquam esse *Saccharum Veterum*, seu *Saccharum Mambu*: Sed neque hoc ipsum Indis olim insignitum fuisse nomine *Tabaxîr*, colligi potest ex Garcia ab Horto, loc. superiùs cit. ubi, Indigenæ *nunc etiam*, inquit, *Tabaxir vocare cœperunt, quoniam eo nomine petitur ab Arabibus, Persis, & Turcis, qui id mercimonii causa ex India in suas regiones exportant*. Nempe, cùm jam pridem dubitatum sit de *Tabaxir* Arabum Medicorum, ac nonnulli crediderint id esse *Saccharum*, mercatores id nominis rei alienæ (ut sæpiùs contingit, præsertim si spes lucri affulgeat,) imposuerunt, atque sub nomine *Tabaxîr Saccharum Mambu* nunc petunt. Sic valent vocabula ut nummi.

58. Sed quid ergo verè *Tabaschîr* Arabum esse dicemus? aut potiùs quid pro eodem incognito in usum Medicum adhibebimus? *Spodium* Græcorum id nequaquam esse diximus; utpote

pote quod metallicum, ac non nisi externis affectibus adhiberi solitum: Nempe, τὸ σπόδιον seu σποδὸς Græcorum *Pompholygi*, (quæ *Toutia* est Arabum, teste Ibn-Beitare;) affine Medicamentum est: specie enim tantùm, non item genere distant, dicente Dioscoride lib. 5. cap. 85. Utriusque communis materia *Cadmia* existit: Namque, (præterquam quod *Pompholyx* seu *Tutia* etiam oriatur ex fumo, qui elevatur, ubi purificatur æs à lapidibus & stanno eidem admixtis,) docente Avicenna cap. de Tutia libr. 2. Can. sublimatur etiam *Cadmia* (*Kilimia* vocata Arabibus,) quodque inde elevatur in altum, est *Tutia* bona; quod verò residet inferiùs, est Cadmia quæ nominatur *Spoudous*, (idest σποδὸς, seu *Spodium*:) Idem similiter declarat Manard. Annot. in Composi. Mesuæ, distinct. 8. ad Confect. Troch. de Spodio; idemque colligi potest ex Diosc. cit. loc.

59. No-

59. Notandum interim, mendum esse in text. Avic. unius literæ, quippe posita est lit. *Kaf* pro *Phe*; (inter quas unius puncti discrimen,) sicque pro *Spoudous* seu *Spodos* legitur *Skoudous*, seu *Skudus*; at pro hoc expressit Interpres *Sukkudus* vel *Succudus*, more Arabum ac Hebræorum, qui nunquam duos consonantes in eadem syllaba conjungunt non intercedente vocali. Liquet autem ex dictis, quod & notatum ab Illustri Salmasio, malè Garciam ab Horto *σποδὸν* & *Tutiam* eandem facere. Quod est verum, inquit Salmasius, si *Cadmia* eadem cum *Spodio*: Nam *Tutia* est *Cadmia*, inquit. Similiter Amatus Lusit. Cent. 1. Cur. 31. contendit *Tutiam* esse *Cadmiam* Dioscoridis, non verò Pompholygem. Sed ipsum quoque Illustrem Salmasium, ac ante eum Amatum Lusit. hîc in errore versari, liquet ex præcedentibus.

60. Quam-

60. Quamvis autem *Tabaſchîr* Arabum, *Spodium* Græcorum non ſit; reverà tamen habendum eſſe pro *Antiſpodio* quodam, patet ex ipſius viribus, ſuperiùs deſcriptis: idemque agnoſcit Manardus Annot. in Compoſ. Meſuæ diſtinct. 8. Ita nempe ipſo quoque Dioſcoride docente libr. 5. capit. 86. deficiente *Spodio*, *Antiſpoda* in illius locum ſufficiuntur: quæ varia ibidem proponit, modumque parandorum deſcribit. Parantur autem ex Myrti foliis, floribus, baccis, aut ex ſylveſtris olivæ cauliculis, aut ex malis cydoniis, aliiſque variis ibidem recenſitis, in cinerem certâ ratione redactis; quæ pleraque, veluti Spodii vires habere traduntur, ita & tutò intus exhiberi poſſunt; ac cardiacam vim habent ideo quod ſpiritus cohibeant: à qua facultate etiam id quod Arabum Interpretes *Spodium* vertunt, (ſcil. *Tabaſchîr*) commendatur apud Avicen. lib. de virt. Cordial. Certè talibus convenienter

venienter assimilari potest *Tabascbîr* Arabum, videlicet *Radices illæ Cannarum adustæ*, seu earundem *cinis*.

61. Atque ita Joh. Manard. Annot. in Composs. Mes. distinct. 8. in Confect. Trochisc. de Spodio, Recentiores, inquit, Avicennam sequentes, *Antispodium Spodio* præferunt, maximè id quod ex *Cannarum radicibus exustis*; licet sint alia plura præstantiora ut quod ex myrto, vel olea, vel lentisco. Huc pertinet id quod habet Garcias ab Horto, c. 13. *Ea Tutia*, inquit, (perperam Græcorum σποδὸν pro *Tutia* haberi paulò antè innuimus,) *quâ nos hîc utimur, quamque in Lusitaniam & Hispanias, reliquasque occidentales regiones exportant, è metallicis conflata non est, sed ex eorum est genere, quæ Dioscoridi ἀντίσποδα appellantur. Mihi enim retulit Mercator, harum similiumque rerum curiosus indagator, se certò accepisse à Persicis Negotiatoribus, hanc Tutiam*, (seu Spodion hoc) *in Quirmon Persiæ regione & Ormuz*

& Ormuz finitima, fieri ac conflari è cineribus arboris cujusdam istic nascentis, nomine Goan, quæ fructum ejusdem nominis profert, cortice & putamine constantem: Corticem verò & nucleum, qui putamine clauditur, edules esse.

62. Apparet ex supra dictis, periculosam esse in re Medica dubiarum vocum versiones; ut longè satiùs sit, easdem immutatas relinqui, quàm perperam in usitatiorem linguam transferri. Notandumque, ubi apud Arabum Interpretes, aut Recentiores quoscunque, occurrit *Spodium* in medicamentis intus sumendis, nequaquam intelligendum esse *Spodium* Græcorum, seu metallicum illud medicamentum; sed *Antispodium* quoddam: Cujus loco, cùm destituamur dubio atque incerto Arabum *Tabaxîr*, commodè *Ebur ustum* sumitur, teste Fernelio libr. Meth. Med. cap. 23. quod in Dispensatorio Cordi variis in locis substitui potest; quia, teste Jac. Sylvio

vio libr. 1. de medic. ſimpl. natura, *Ebur* totâ ſubſtantiâ corroborat, & conceptum juvat, frigidumque ſiccumque eſt primo gradu. Malè autem nonnulli *Antiſpodium* fieri cenſent ex oſſibus Elephanti crematis; oſſa quippe Elephantum in Medicina nullius eſſe uſus, (ut nec inſtrumentis & operibus faciendis,) ſed ab Indis abjici, ſolos dentes in uſum venire, teſtis eſt Garcias ab Horto cap. 13. & 14.

63. Sed hæc de *Tabaſchîr* Arabum; *putatitio* nimirum *Veterum Sacchato*, ſeu *Sacchaτο Mambu*: Ad *Saccharum* ipſum revertimur, *Aliud Sacchari genus*, præter id quod Salis inſtar Harundinibus adhæreſcere diximus, Veteribus cognitum fuit; diverſum tamen interim quoque ab hodierno noſtro. Nempe, ex Arundinibus quibuſdam, vel earundem radicibus, *ſuccum* exprimebant, quo vel crudo ac ſuapte facultate fermentato, vel etiam decocto forſan, ceu *liquido melle*, tum in potu,

tum & in cibo fortassis pro condimento, nec non in medicina, utebantur.

64. Hunc *succum melleum*, seu *saccharinum liquorem*, Avic. lib. 2. Can cap. de Saccharo, vocat *Aasl Al-Kadsb*, *Mel arundinis*; quod quidem *Mel*, quamvis dicto loco distinguatur à *Saccharo*, quando dicuntur *Mel arundinis* & *Saccharum* non esse inferiora melle in abstergendo & mundificando, &c. disertè tamen illud inter Sacchari species ibidem refertur, atque in ipso illo capite de Saccharo de eodem agitur: ut adeò illic per *Saccharum* à Melle arundinum distinctum, intelligatur *Saccharum vulgare*, ac imprimis *Saccharum* illud *Veterum*, de quo jam antè diximus, cui & ipse Galenus adsimiles melli vires in abstergendo tribuit. Alioqui lib. 4. Can. fen. 1. tr. 2. cap. 8. *Mellis arundinum* mentionem faciens Avicen. disertè addit, id *esse Saccharum*: Substantiâ nempe id ipsum cum *Saccharo vulgari* unum idemque est;

est; spissitudine tantùm ac consistentiæ modo diversum.

65. Præter Arabes tamen alii hunc *melleum succum Sacchari* nomine, quod sciam, non indigitant; rem ipsam tamen frequenti in usu habuerunt. Tale namque Saccharum in India & Ægypto frequens esse solebat: Ejusque mentionem facit Lucanus (quem C. Cæsare & I. Cæsiano Coss. natum esse constat,) de Indis loquens.

Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos.

66. Arundinum illarum in Ægypto nascentium dulcium, unde melleus ille humor exprimebatnr, meminit Gal. 4. de simpl. med. facult. ubi molles radices calamorum, maximè Ægyptiorum, dulces esse aït. Ac Strabo in quodam Æthiopiæ loco καλάμους Ἰνδικοὺς *Arundines Indicas* plures nasci prodit: Ut verisimile sit, certo generi Arundinum hoc nomen inditum, etiamsi non solùm apud Indos nasce-

retur. De hoc Arundinis genere, melleo ſucco turgente, Varro apud Iſidorum, hic verſibus canit,

Indica non magna nimis arbore
creſcit arundo,
Illius è lentis premitur radicibus
humor,
Dulcia cui nequeunt ſucco contendere mella.

67. Similiter Solinus, Plinii contemporaneus, cap. 65. de India ſcribens, inter alia ita aït: *Quæ paluſtria ſunt, Arundinem creant ita craſſam, ut fiſſis internodiis lembi vice vectitet navigantes: E radicibus ejus exprimitur humor dulcis ad melleam ſuavitatem.* Atque ex Iſidoro refert Salmaſius, *In Indicis ſtagnis naſci arundines, qui calami dicuntur, ex quorum radicibus expreſſum ſuaviſſimum ſuccum bibunt.* Strabo (qui ſub Octaviano celebris fuit,) libr. 15. ex Eraſoſtrate memorat τὰς ῥίζας τῶν φυτῶν καὶ μάλιστα τῶν μεγάλων καλάμων γλυκείας καὶ φύσει καὶ ἑψήσει, *Radices plantarum, præſertim*

præsertim magnarum arundinum, & natura & decoctione dulces. Huc pertinet illud Statii Papinii, (qui Nervæ Impiratoris temporibus claruit,) libr. 1. Sylv.

Et quas præcoquit Ebosia Cannas.

68. De hac *Arundine Saccharina* etiam intelligi vult Salmasius Exercit. in Solin. part. 2. pag. 1312. *Ferulam* illam *arboream* Insularum Fortunatarum, quæ expressa reddebat aquam potui jucundam ac dulcem. Narrat Plinius, post Jubam, (inquit Idem p. 1018.) in quadam ex insulis Fortunatis *Ferulas* surgere ad arboris magnitudinem, candidas, quæ expressæ liquorem reddunt potui juncundum, Similiter, In Hispaniola tradunt Cannas gigni, inquit ibidem, ex quibus melleus & saccharinus succus educitur, sed coagulari non posse.

69. Sed de isto genere Arundinum, melleo liquori reddendo aptarum dubitatur,

bitatur, an idem sit cum illo, quod præcedens Sacchari genus, Salis Indici nomine indigitatum, proferre diximus? an verò genus quoddam diversum? Idem illud, nempe magnum, ac in arboream amplitudinem exurgens, à Solino, Isidoro, ac Strabone intelligi, ex citatis locis apparet: ac verisimile id ipsum reddit Salmasius, licet invitus, dum eidem accenseri vult Ferulam arboream Insularum Fortunatarum,

70. Veruntamen non valde magnum esse illud Arundinum genus, insinuat Lucanus, dum canit.

—— Tenera dulces ab arundine
succos.

Similiterque Varro, dum inquit

Indica non magna nimis arbore
crescit arundo.

Atque in hac sententia est ipse Salmasius, qui putat Veteres nonnullos harundines istas, ex quarum radicibus exprimitur dulcis humor, confudisse cum

cum illis harundinibus, qui Saccharum ferunt, seu quibus Saccharum adhærescit: Statuitque Cannas illas Indicas, quæ ipsæ vel quarum radices expressæ *melleum* illum Veterum *humorem* reddebant, easdem planè esse cum illis Cannis, quæ nobis hodie *Saccharum*, sic *vulgo nominatum*, generant.

71. Ac de hisce quidem, hæ *modicæ* sunt, inquit (pag. 1922.) ac *Papyro similes*; amplissimæ illæ, in quibus nascitur *Saccharum Mambu*, quod *verum* ac *legitimum* est *Saccharum Priscorum*: Hasce plenas esse statuit, non inanes & cavas; secus atque arboreæ illæ se habent. Atque ita de Arundine illa Solini, quam dicit fissis internodiis lembi vice vectitare navigantes, atque è cujus radicibus inquit exprimi dulcem humorem: Hæc est *Harundo Mambu*, inquit Salmasius (pag. 1311.) super quam concrescit *Saccharum Mambu*; non ex hujus radice *humor dulcis* exprimebatur, sed ex alia minore,

cujus humor expressus & coctione densatus, *Saccharum hodiernum* dat.

72. Dissentire hîc Costæum observo, qui Annot. ad Mesuæ libr. 1. Secret. Med. distinct. 1. in initio „ *Antiquorum Saccharum salis modo coactum, dentibus ut Sal fragile, ac splendidum, ex eadem planta provenirè, ex qua nostrum Saccharum vulgare, disces*, inquit, *ex Indiæ Commentariis; adhuc enim apud Bethecalem Indiæ tale videre est, iisdem arundinibus sponte adnascens, ex quibus reliquum purius atque impurius conficitur.* Hæc eadem Scaligeri sententia est, quam Salmasius impugnat.

72. Et sanè, quid obstat quò minùs ex radicibus etiam majorum Arundinum æquè succus aliquis melleus exprimi queat, qui apud Veteres in usu fuerit; atque nunc ex arundinibus minoribus totis succus exprimitur, qui in vulgare Saccharum coctione redigitur? Certè Veterum testimonia, Solini, Isidori, Strabonis, dilertè hoc innuunt:

innuunt: Videturque hoc ipſe Salmaſius aſſerere (pag. 1312.) ubi, *quod ex Cananis Saccharinis exit*, inquit, & *denſatur calore*, ejuſdem penè facultatis, imò aliquanto etiam majoris, cum ſucco ipſo Cannæ, quo expreſſo & decocto *factitium Saccharum* paratur. Ex una itaque eademque Canna pars ſucci ſponte *exit* & *denſatur calore* Solis, ſicque in id quod *Sal Indicum* vocatur, cogitur; pars alia *exprimitur decoquiturque in Saccharum factitium*, ſeu noſtrum vulgare.

74. Atque ita fortè ex utroque illo Arundinis genere, majore & minore, utrumque Sacchari genus provenire ſtatui aut credi poteſt: quamvis fortè Veterum illud Saccharum, ſponte exſudans, alibi magis, alibi minùs proveniat; fortè etiam ex aliquibus Cannis non niſi unum genus, atque ex aliquibus fortè neutrum: Utraque ſaltem Arundo, tum magna illa, tum parva, dulci liquore imbuta eſt; quid

ni ergo ex utroque genere, annoſo jam exiſtente, quippiam fortè exſudet? quid ni ex utroque quid exprimi queat?

75. Liquet ex dictis, *Arundinem Saccharitam* quamcunque Veteribus fuiſſe cognitam: eoſque non modò *Saccharum* noviſſe ſponte exſudans & calore Solis concreſcens in Salis conſiſtentiam; ſed & dulcem liquorem locorum ex eadem exprimi ſolitum ab incolis locorum. De Arte verò excoquendi ejuſmodi mellei ſucci, qui ex Cannis elicitur, & coagulandi, ac penè in lapideam duritiem cogendi, ut fit in Saccharo hodierno, quid judicandum, quid ſtatuendum? Hanc prorſum incompertam Veteribus fuiſſe audacter pronunciat Illuſtris Salmaſius; nec admodùm dubitat ſententiam ferre conſimilem Quercetanus, Diætet. Polyhiſt. ſect. 3. cap. 8. *Coctura* interim Veteres quandoque uſos fuiſſe, conſtat ex Strabone & Statio ſuperiùs citatis: Sed

Sed eâ usi videntur tum ad purificationem, tum ad meliorem succi conservationem.

76. Talem *decoctionis* rationem, usitatam etiamnum ætate Recentiorum, describit Platearius de Simpl. Medic. Lit. Z. cap. 2. ubi *Zuccara* sic fit, inquit: Cannæ illæ in quibus crescit radicitus rescinduntur, cùm sunt maturæ; earum summitates abjiciuntur, ad mensuram 1. vel. 2. palmarum, & statim infiguntur terræ in specie graminis; reliquum incisum per frustula terunt in mola, & liquorem cum fustibus recipiunt in vasculis, & totum missum in caldarium cogunt, & videtur totum transire in spumam; & haurientes ponunt in vasculis rotundis, & sic ponunt in angulis domorum; statimque cooperit palea: & superaspergunt aquam frigidam, & inde fortiùs ebulit: & quantò plus excoquitur & depuratur, tantò magis minuitur substantia, & magis dealba-

 tur.

tur. Illud verò cui modicum aquæ aspergitur, remanet citrinum; & illud valde calidius: unde neque in acutis debet dari, & dicitur *Zuccara mellita*. In eodem curcello circa fundum quandoque tale est; superiùs verò album & laudabile. Item cum aceto coque donec exuratur; & forma inde Magdaleones, optima suppositoria sunt in acutis contra ventris constipationem. Hæc Platearius.

77. Talem ergo *Cocturam liquidam* Veteres item pararunt, atque asservârunt fortè tum pro potu, tum pro condiendis cibis, tum pro usu in Medicina: At succum illum mellitum in panes atque pyramides redegisse, solidamque quâ nostrum saccharum servatur substantiam, nullibi reperitur: Ut adeò *Zaccharum hodiernum*, quà tale, quoad externam formam, Recentiorum (saltem post Galeni tempora,) inventum videatur habendum.

78. No-

78. Nomen itaque antiquum *Sacchari* ſervatur; ſed rei planè diverſæ accommodatur. Quippe arundo ex qua Veterum *melleus liquor* exprimebatur, qui ipſe in uſum ſervabatur, nunc equidem ſecatur, tunditur, molitur, premiturque ad ſuccum eliciendum, qui deinde excoquitur, ad eam ſpiſſitudinem, eamque diritiem atque candorem, tandemque in eam metæ formam, quam paſſim in noſtro Saccharo cernimus, in ligneis quibuſdam vaſculis, deducitur. Hæc verò ejuſdem materiæ mutatio varia, ut inſignem formæ accidentariæ ita & quodammodò virium diverſitatem, procul dubio inducit.

72. De Arundine ipſa, ex qua *vulgare Saccharum* paratur, hæc refert Manard. Epiſt. 2. libr. 2 quæ à Siculis & Luſitanis ſe cognoviſſe teſtatur. Planta, inquit, ex qua exprimitur ſuccus, humectis locis proprio ſemine ſurculiſve ſeritnr, exteriore quidem ſpecie

arundini magnæ ſimilis, interiore ſubſtantiâ valde diſſimilis: pulpoſa enim eſt, gravis, mollis, & ſucci plena; quum arundo econtrario ſit levis, dura, vacua; & propterea milio potiùs Indico, quod melicam vocant, quam arundini ſimilis. Ejus copioſum in Siciliæ & Canariæ Inſulis proventum commemorat. In Medera, Syria, ac Indiæ Inſulis, inquit Langius Ep. 64. lib. 1. ex ſucco radicum cannarumque medulla, inſtar ſambuci molli, & ſucci plena, in ſubjectam pelvim expreſſo, in æneis caldariis donec concreſcat, aut inſtar cryſtalli coaleſcat, decoquitur.

80. Rem ipſam deſcribit in hunc modum Manardus: Res *Zuccharum* dicta, tantoperè nunc menſis expetita, ut in proverbium abierit, non eſſe eſcam quæ Zaccharo vitietur, nihil aliud eſt, quàm ſuccus é proprii generis planta bene contrita expreſſus, calore ignis plus minuſve excoctus, coactus,

ctus, & defœcatus; in *Zuccharum* tantò candidius & durius evadens, quantò plus coctionis defæcarionisque toleraverit. Ex diversa autem ejusmodi defæcatione & coctura, contingit *varios* ei *perfectionis numeros* adscribi, ut quoddam *summum* dicatur & *perfectissimum*, à fine nomen vulgo accipiens, quia videlicit ad finem bonitatis pervenerit, candore, duritie, suavitate præcipuum. (*Finum* hoc à puritate, ac tenuitate substantiæ dici, videri queat, Belgis fijn/ detractâ nimirum omni fæculentâ materiâ; quamvis cum Monardo sentiat Costæus.) Aliud *infimum*, huic penitus contrarium, lentum, humidum, nigricans, insuave, & fæculentum, *primæ decoctionis* vocatum. Inter hæc duo extrema, duo quoque sunt media; alterum *infimo proximum*, *secundæ*; reliquum *summo*, *tertiæ concoctionis* nominatum. Hæc Monardus.

81. *Infimum* illud, seu *ignobilissimum*, quod *primæ decoctionis* dicitur, foris albidum,

bidum, intus subrubrum apparet, tanquam alio fartum, & foris alio tectum metis constans peramplis; omnium glutinosissimum est; condituris atque confectionibus siccis ineptum, liquidis autem, nempe Syrupis, conservis, & similibus adhibetur, quia misturâ vilitatem suam tegit. Hoc cùm mare sentit, (nam eo naves ad gravitatem saburrant,) efficitur id quod vulgo *Rubrum* vocant. Nonnulli tamen *Rubrum Saccharum* spumam & spurcitiam Sacchari se coquendo purgantis existimant, ut tradit Jac. Sylvius libr. I. de simpl. medic. natura.

82. *Optimum* illud, seu *Finum* dictum, quod nempe *quartæ decoctionis* esse diximus, durum ac solidum existit, ac mutuo metarum allisu, ligni sicci vel solidi instar sonorum; ob siccitatem verò, ac substantiæ tenuitatem & puritatem leve, dulcissimum ac candidissimum; ac judice Costæo, siccius ac calore inferius est impuro.

Tale

Tale *Valentinum* eſt, in metas pyramidum ęmulas coactum, parvas, librę circiter unius & dimidiæ: cariſſimum hoc, & confectionibus ſiccis aptiſſimum. Ei verò & præſtantiâ & pretio proximum eſt, quod *Madera* vocatur, (ex Inſula Madera advectum;) in metas id longè majores, 6. 7. 8. 9. 10. librarum conformatur. Prædictis bonitate cedit, quod ex *Canariis* Inſulis, (olim *Fortunatis*,) adfertur, metis conſtans maximis, 10. vel 12. librarum.

83. *Optimum* dum magis magiſque coquitur, tandem planè clareſcit, atque aluminis ſciſſilis in modùm tranſlucet: hoc vulgò *Candum* & *Candidum* vocant. Quamvis Monardus Epiſt. 2. lib. 2. exiſtimat, Saccharum illud Veterum, olim ex India vel felici Arabia aſportatum, nunc *Candum* vocari, quia nimiâ *Solis incandeſcentiâ* multùm obduruerit: Hoc verò non ampliùs hoc tempore portari, quoniam ex noſtro Zuccharo aliquoties excocto, lucelli

celli majoris corradendi gratiâ, Seplasiarli Veneti rem similem facere didicerunt, arundines quoque ipsi immitttentes, supra quas videri possit conglobatum, & gossypio involventes, ut ex orientalibus regionibus invectum putetur.

84. Falsos illos, inquit Salmasius Exerc. in Solin. part. 2. pag. 1022. qui *Saccharum* vulgò dictum *Candum*, contendunt esse *Veterum Saccharum*: Hoc arte tantùm paratur, inquit; *Priscum* illud, (quod perperam dicit esse *Tabaxîr*,) nihil arti debet. Non alii Autores, inquit, *Sacchari Candi* meminerunt, quàm qui Saccharum hodiernum factitium noverunt, ut Myrepsus. *Saccharum Candum*, inquit, non à candore dictum, nec à Canna, sed καντὶ, vel καντὸν, vel κάντιον Græci recentiores vocarunt, quòd angulosum sit, & quum frangitur, in partes semper dissiliat angulares: Id Græci vulgares καντὸν appellant. Græci Veteres non minùs

minùs hallucinati ſunt, inquit, qui Veterum Saccharum pro Manna acceperunt: Inter quos Aphrodiſæus, (cujus verba ſuperiùs citavimus.)

85. At alibi (pag. 1321. 1313.) Quod ex Cannis Saccharinis exit, inquit, & denſatur calore, ejuſdem penè facultatis, imò aliquanto etiam majoris, cum ſucco ipſo Cannæ, quo expreſſo & decocto *factitium Saccharum* paratur. Illud eſt *Saccharum Candi nativum*, inquit, & longè quidem præſtantius illo quod arte fit. Non ergo differt toto genere *Saccharum Veterum*, (quod *nativum Candi* eſt) à *Saccharo factitio* (ſeu *vulgari*) cùm non neceſſariò ex diverſis plantis, ſed & ex ejuſdem Cannæ ſucco utrumque proveniat, alterum ſponte exiens, alterum per expreſſionem & decoctionem; ſecus atque contra Scaligerum Vir Illuſtris urgebat. Cæterùm quod attinet vocem *Kand*, hæc ipſa quoque apud Arabes in uſu eſt, atque eadem apud

apud Avicennam quandoque occurrit: (an eam hi à Græcis, an Græci ab hiſce aſſumpſerint, fortè dubium.) Ibn Beitar *Succum* interpretatur, *qui ex Arundine Saccharina colligitur, ex quo Saccharum paratur*: Clariſſ. D. Golius in Lexic. Arab. *Mel arundinis ſacchariferæ* reddit, pecul. *concretum*: In Lexico Perſ. vertitur *Saccharum*: Vox dubia videtur Orientalibus; adeòque ad Græcos transferenda.

86. De *Sacchara Taberzed* item verbo dicendum: Vocabulum hoc itidem Perſicum eſt; à Perſis ad Arabes traductum: ex *Teber*, quod *ſecurim manualem*, vel *malleum* denotat, & *Zeden*, *percutere*; quaſi ſecuri dividendum ob duritiem, quo modo etiam Paraphraſtes Turca interpretatur; quippe eſt ſaccharum per coctionem ad inſignem duritiem, adeòque & puritatem, redactum. Hujus ſpeciatim meminit Avic. libr. 2. Can. cap. de Zaccharo, (ubi *album* vertit Interpres,) dicitque

frigidius

frigidius esse atque subtilius, scil. præ saccharo communissimo. Ac libr. 4. Can. fen. 1. tr. 2. cap. 22. (quod est de asperitate linguæ in febr.) Linguam, ubi viscosa est, fricari jubet cum *Saccharo Taberzed*; quod ipsum ibidem distinguit à *Sale quod asportatur ex India*, id est, *Saccharo Veterum*, de quo diximus. Serapio verò, lib. Simpl. cap. 50. *Taberzet*, inquit, non mollificat ita sicut *Saljemani*, (de quo item superiùs:) Ex quibus colligendum, *Saccharum Taberzed* esse illud quod *Finum* seu *purissimum* diximus: quod sanè velut abstergendi facultate non destituitur, ita præ reliquo saccharo est frigidius & siccius; adeòque Linguæ in febribus viscositate obsitæ convenientius: atque ita Costæus, Annot. in libr. 1. Secret. medic. Mesuæ, distinct. 1. *Saccharum* crebrâ depuratione *albissimum* redditum, *Taberzet*, sicut & *probatissimum Mel* Mauritanis Scriptoribus, nuncupatur. Equidem Avic. libr. 2. Can. cap.

cap. de melle, distinguit inter *mel Apum*, *mel Arundinum*, & *mel Taberzed*; mel Apum dicit esse calidum & siccum in 2. grad. *mel Al-Taberzed*, & *Arundinum*, calidum in primo, non siccum, quin imò posse esse humidum in primo: Præterea dicit *mel Arundinum* lenire ventrem; at *mel Taberzed* ventrem non lenire: additque mel cujus spuma non rejecta est, inflare atque solvere alvum; at cùm rejecta sit, id ipsum minùs facere. Ex quibus colligendum videtur, *mel Taberzed* (impropriè ita dictum,) esse ipsum *mel Arundinum* purificatum, seu *liquorem Saccharinum coctione depuratum*, fortè quem superiùs ex Platerio *Zuccara* nomine descripsimus.

87. Patet ex dictis, *Saccharum Rubrum*, *Finum*, *Candum*, (quod nunc habetur, nam verum *Candi*, seu nativum, non ampliùs asportatur,) itemque *Taberzed*, vulgaris seu factitii Sacchari differentias esse; Quò item referimus

rimus *Sacchari farinam*, seu *pulverem*, non coagmentatum nec redactum in metas. Quando autem innotuerit primùm *vulgare Saccharum*, seu, quando ejus parandi ratio inventa sit, incertum est. Hanc ab Arabibus monstratam putat Salmasius; aut fortè ab ipsis etiam Indis primùm, post tempora demum priscorum Græcorum. Avicennam primum cocturam Sacchari ex Cannis expressi, quale ad nos hodie affertur, tradidisse, asserit Jo. Neander in Avic. vita, in Syntagm. de Med. Orig. &c. nusquam enim, inquit, apud Veteres Græcos talis coctura extat, nec ante Avincennæ tempora in usu fuit. At saltem Rhasis quoque, qui Avicennâ prior, aut quo saltem Præceptore gavisus Avicenna, ejusdem meminit libr. 3. ad Almans. capit. 20. ubi Saccharum ventrem lenire ait, neque calefacere nisi parum; ac ibid. cap. 27. mentionem facit *Zucchari rosati* & *violati*, & *Syrupi acetosi de Zucharo* facti. &c.

88. Sed

88. Sed & jam pridem Æginetæ (qui ante annum Christi 400. floruit,) cognitum fuisse Saccharum nostrum; existimat Quercetanus, in Diæt. Polyhist. sect. 3. cap. 8. idque colligit ex hisce verbis, *Caterùm Saccharum quod ex felici Arabia affertur, minùs dulce est eo quod apud nos est; & æqualem vim habet ad hoc, quòd stomacho noxium est, neque sitim inducit, velut hoc nostrum.* Verùm non videtur Vir Eruditiss. ipsum Æginetam consuluisse, qui libr. 7. ubi de melle agit, ita loquitur: *Mel etiam Sacar, quod ex felici Arabia invehitur, non tam dulce quàm nostras mel; sed æquales vires possidet, præter quòd nec ventriculum lædit, nec sitim conciliat, veluti nostrum.* Comparat itaque Ægineta *Saccharum Arabiæ felicis*, quod & *Mellis* speciem facit, (sicut & Diosc. & Gal.) cum vulgari *Melle*, non cum vulgari *Sacchara*: Per *Sacchar* autem ex Arabia felici, intelligit id *quod circa calamos accrescit*, ut loquitur Galen. hoc est Saccha-

Saccharum illud Veterum, quod Salis ideam referebat, de quo superiùs.

89. Nos inventionis laudem ipsis Indis, seu indigenis locorum Arundinem saccharinam ferentium, utpote quibus materia suppetit, relinquimus, cùm & primi Arabum Medicorum Sacchari vulgaris meminerint, nec inventores se profiteantur. Non tamen existimem cum ratione statui, id quod vult Lang. Epist. 64. libr. 1. non Arabum tantùm, sed etiam Græcorum Medicos (vetustiorum scil.) & ipsum Galenum etiam, vulgari Saccharo usos. Actuarius equidem, (qui ex Recentioribus Græcis fuit,) de comp. med. ex succo vel stillatitio rosarum aut violarum liquore, & Zaccharo, Julapia conficere docet: Simplicissimum, inquiens, in potionibus febricitantium medicamen est, quod ex Sachare & aqua coquentes temperamus; secundum locum tenet, quod ex viola-

rum ſucco & Sacchare facimus, &c. Sed dubitari poteſt, an non hîc quoque Veterum Saccharum nativum, (quod Plinio teſtè ad Medicinæ tantùm uſum erat,) aut decoctum Saccharinum, quale ex Plateario recitavimus, intelligendum ſit.

90. Liquet autem ex antè dictis, quid inter *Melleum arundinum ſuccum*; ſeu *liquorem ſaccharinum Antiquorum*, ex eodem arundinis genere expreſſum, ex quo hodie noſtrum Saccharum, atque inter hoc ipſum *vulgare Saccharum*, interſit diſcriminis: Scilicet eſt ille dulcis liquor materia Sacchari vulgaris, ſeu ſubſtantia eadem quæ in Sacchoro vulgari per coctionem correcta, purificata, atque in formam ſolidiorem, conſiſtentem, pluſque minùſve candicantem, redacta; adeòque utrumque naturâ ſpecificâ idem eſt, utut ob diverſum materiæ modum, ac puritatis & impuritatis diſparitatem, viribus quodammodò diverſa.

91. Quod

91. Quod si verò itidem similem succum expresserint Veteres ex radicibus aliarum Arundinum, specie differentium, scilicet Mambu dictarum, aut aliarum quarumcunque, quarum succus coagulari non potuerit, quales in Hispaniola esse ajunt, aut ex ferulaceo quocunque genere Insularum Fortunatarum; utique cùm hæ plantæ specie differant ab illo arundinum genere; unde Saccharum vulgare paratur, specie quoque differre *Saccharinum* ejusmodi *liquorem* à *vulgari Saccharo* statuendum est, adeòque & facultatibus dubio procul plurimùm discrepare.

92. Præterea, hinc liquet, quid de *Saccharo Veterum*, solidiore illo; quod Sali assimilarunt, statuendum sit? Et an natura illius eadem statuenda, cum *Saccharo nostro?* Nempe, si etiam ex radicibus Arundinum Mambu exprimatur succus qui in vulgare Saccharum concoquatur, *Saccharum* illud *Veterum* ultrò accrescens ramis ac

foliis illius arundinis, à vulgari illo, ex iisdem arte parato, nequaquam specificè differet; sed diversum erit solummodò: attamen interim nec substantiæ modo, nec per omnia viribus, eidem simile: v. g. quatenus *Veterum Saccharum* quidem *sitim non affert*, teste Gal. libr. 7. de simpl. med. fac. cap. de Melle, itemque Ægin. libr. 7. at *factitium* illud ex arundinum earundem succo, fortè sitim inducit, ut de *vulgari* dicemus inferiùs.

93. Eadem ratio erit, quæ dicta, seu nullum essentiale discrimen erit, si fortè ad summitates arundinum minorum, ex quibus ordinariè *vulgare Saccharum*, in Medera, Sicilia, Creta, Rhodo, & Cypro Insulis, ac etiam in Ægypto, ipsaque America, paratur, contingat quandoque aliquid Sacchari in formam Salis concrescere. Ut adeò de hisce verum dici queat, id quod pertendit Jul. Scaliger, hanc solam esse differentiam *Sacchari Veterum* & *ho-*

& *hodierni*, quòd illud ex harundine sponte manaret, nostrum hoc exprimatur & coquatur ad candorem & spissitudinem: cùm utique discrimen essentiale nequaquam inferat, nec rei naturam vel essentiam mutet, si vel Solis virtute succus saccharinus purior elevetur, à fæculenta portione abstrahatur, exsudet, concrescat; vel artificis industrià succus expressus vi ignis coquatur ac purificetur, sicque in saccharum coctione cogatur: Quamvis nequaquam idem substantiæ modus utrobique relinquatur, nec æquè attemperata sit causæ utriusque (nempe Solis & Ignis) ἐνέργεια, adeòque nec per omnia eadem relinquatur Sacchari utriusque virtus.

94. Contrà verò, illud *Saccharum vulgare*, quod ex peculiari specie arundinum, vel potiùs planta arundini externâ specie duntaxat simili, (qualem tradit Manardus, cum quo consentit Salmasius,) paratur, id non poterit

cum *Sacchаro Mambu* specie convenire: Ut hisce quidem accommodari queat id quod vult Salmasius, (pag. 1019.) non duntaxat diversa esse, sed frontibus adversis esse opposita, hoc est, toto genere ab invicem differre: Specificum certè discrimem inter hæc intercedere, non minùs quàm inter plantas ipsas atque earunden succos, necesse est. Causa erroris hîc fortè Scaligero extitit, quòd non nisi unum genus Arundinum saccharinarum agnoverat, unde *Veterum Saccharum* sponte prodierit, *hodiernum* verò arte paretur. In simili utique errore versatum fuisse Jan. Ant. Saracenum, ex antè citato loco liquere potest; necnon Matthiolum comm. in caput Diosc. de melle: Similiter Lang. Epist. 64. libr. 1. ubi, Quum in regionibus orbis quæ Sacchar ferunt, arundines Sacchari sint ejusdem speciei, naturâ soli differentes, nemo mihi persuadebit, inquit, Saccharum quo modò utimur, ab Antiquorum

per

per decoctionem facto, esse diversum. Quibus verbis, præter identitatem arundinum specificam, supponit Veteribus eandem Sacchari per decoctionem parandi rationem, quæ nunc in usu est, cognitam fuisse; at inter *nativum Veterum Saccharum* & *factitium hodiernum* plus quàm diversitatem agnoscere videtur; sed præter rationem, supposità unicà duntaxat arundinum saccharinarum specie.

95. Quicquid sit, undecunque *Saccharum Veterum* vel *hodiernum* depromatur, discrimen saltem non contemnendum in substantiæ modo ac virtute, inter ipsum *Saccharum Veterum*, quod *Sal Indum* dixerunt, atque *nostrum vulgare*, statuendum videtur. Atque hinc Plinius *Saccharum* suum *ad medicinæ tantùm usum* adhiberi refert. Dioscoridis *Saccharum*, quod consistentià Sali simile est, εὐκοίλιον existit, hoc est, ut exponit Salmasius, *ventris incitamentum*; ita namque & Hesychius Σάκχα-

ϱον γεννώμενον ἐκ τῇ Ἰνδικῇ, κοιλίας λυτικὸν, *alvi solutivum* vocat. Omni quidem Saccharo hoc tribuit Avicen. ut superiùs dictum; sed imprimis ei *quod super arundinem invenitur*, in India, atque *Sali Iemanico*, id est Arabiæ felicis, (quo posteriori *Mannam* indigitare vix dubito.) Præterea oculorum obscuritatem adstergere, renes ac vesicam exulceratam juvare, de suo testatur Dioscorides: Quæ minùs evidenter vulgari Saccharo competunt. Galenus de *Sacchar* quod ex Arabia felici convehi aït, *nec inimicum esse stomacho*, ceu mel vulgare, (*εὐστόμαχον stomacho utile* dixit Diosc.) *nec sitim afferre* testatur: Ac Avic. l. 3. Can. fen. 6. tr. 1. cap. 19. *contra sitim* commendat *Saccharum Al-Higjâz* seu *Arabiæ Petrææ*: At *Saccharum vulgare* sitim afferre, adeòque minùs stomacho utile esse, testatur experientia, atque artestatur Avic. lib. 2. Can. c. de Zacchar. Quâ de causa frequentiorem ejus usum dissuadet Querc.

loc.

loc. cit. ac juvenibus præsertim nocentissimum esse aït. Ægin. lib. 2. cap. 54. (quod est de asperit. ling.) *Sal Indicum affatim humectare* ex authoritate Archigenis testatur. Avicen. id ipsum quod tribuitur Veterum Saccharo, scil. *non excitare sitim, ut reliquæ species Sacchari*, perperam suo *Al Oscher* tribuit; de quo rectiùs Isaac ben Sulaimen apud Serapionem, *non auferre* sitim aït.

96. De *Viribus Sacchari vulgaris* verbo dicendum: Serapio ex Aben Mesue id *calidum* statuit in principio 2. grad. *humidum* in medio primi; Non calefacere nisi parum, inquit Rhases libr. 3. ad Almans. cap. 20. Avicen. lib. 2. Can. cap. de Sacchar. statuit *mel arundinis* & *Saccharum* (vulgariter ita dictum,) non esse inferiora melle in *abstergendo*, & *mundificando*: Certè ipsi quoque *Veterum Saccharo Indico* & *Arabico adsimiles melli vires* tribuit Gal. libr. 7. de Simp med. facult. Similiter Ægineta de *Saccharo* quod ex *Arabia*

 felice

felice advehitur, *æquales melli vires* possidere, præter quòd nec ventriculum lædat, nec sitim conciliet, veluti nostrum mel. Dissentire autem quodammodò à se ipso videtur Avicen. quando lib. 3. Can. fen. 1. tract. 2. capit. 8. inquit *Mel arundinum*, id est *Saccharum*, ut exponit, propriè *mundificativum* melius esse melle Apum, quamvis *absterfio ejus minor* sit *absterfione mellis*.

97. Præterea *Saccharum* lenit pectus, & tollit asperitatem ejus, Avic. teste: Ita de Saccharo violaceo testatur Rhases lib. 3. ad Almanf. guttur lenire, & tussim mitigare, facilemque reddere screatum; atque ventrem lenire; stomachum tamen dissolvere, & appetitum destruere: Limitationem adhibet Avic. scilicet, esse bonum stomacho in quo non generatur cholera: ipsum enim lædit, inquit, propterea quòd ad choleram convertatur, Rhases ne quidem *Saccharum ro-*

satum

peramento: Palato passim inservit; *satum* eos, qui calorem patiuntur & ardorem, ullo modo comedere debere, & maximè si æstas fuerit.

98. Est in ipso virtus faciens sitim; minorem tamen quàm facit mel, imprimis antiquum, ut docet Avicen. lib. 2. Can cap. de Sacchar. At idem tamen libr. 3. Can. fen. 6. tr. 1. cap. 19. commendat *Saccharum* ad linguæ adustionem propter sitim; verùm illud quod vocat *Al-Higjâz*, seu *Arabiæ Petrææ*, nempe illud, quod Avicennæ fortè potiùs Mannæ species est, adeòque propter humectationem convenit; velut & ibidem commendat *Merengjubîn*, speciem nimirum Mannæ aliam.

99. Denique, quorumvis saporum excessum corrigit Saccharum: acria retundit; acida mitigat; salsis suavitatem addit; austeritatem domat; acerba vincit, insipidis saporem conciliat: In cibis pro condimento est; in potu pro oblectamento; in medicina pro tem-

plurimaque Salis in modum à corruptione conſervat.

100. Interim prudenter Quercetanus loc. cit. frequentiore Sacchari uſu omnibus interdicit, quòd calidæ ſit qualitatis, & facilè in bilem vertatur. Qui enim avidiores ſunt ad Saccharum, inquit, & ſaccharatas confectiones immodicè deglutiunt, ſanguinem ſibi retorrent, perpetuam ſitim incurrunt, ac fœdam dentium nigredinem contrahunt: At juvenibus præſertim nocentiſſimum eſt, qui calido & bilioſo temperamento eſſe ſolent. Tandemque, etſi candidum eſt Saccharum, inquit, ſub candore tamen ſuo magnam celat nigredinem; ut & ſub ejus dulcedine ingens acrimonia deliteſcit, aquæ forti par & ſimile: Ex quo etiam diſſolvens ac tam fortis liquor educi poteſt, qui vel ipſum Solem (id eſt Aurum) in aquam ſolvat & colliquet. Sic dulcia fallunt!

F I N I S.

ANTONII DEUSINGII.
Med. & Philos.

DISSERTATIO
DE
MANDRAGORÆ POMIS,

Pro DOUDAÏM *Genes.* 30. habitis.
Illiusque MANGONIIS, *vulgò dictis* Pisse-Diefjes / *&c.*

Nobilissimo, Amplissimo, Strenuissimo Viro, Domino,

D. PH. ERNESTO VEGILIN DE CLAER-BERGEN,

Celsissimi Principis

GUILIELMI FRIDERICI, Principis Nassoviæ, &c. Gubernatoris ac Capitanei Generalis Frisiæ, Groningæ, Ommelandiæ, Drentiæ, &c.

Aulæ-Præfecto, ac Consiliario; Cohortis Militaris Capitaneo, &c.

ANTONIUS DEUSINGIUS, Salutem ac Felicitatem P.

Nobilissime & Amplissime Vir, Domine, Fautor, & Amice, honorande ac colende.

CUM nuperrimè in Illustri Academia nostra Dissertationem de *Unicornu*, nec non de *Lapide Bezaar*, publicis suffragiis submitte-

mitterem; aliasque de *Manna* & *Saccharo*, quas itidem in subsidium adhibitis Orientalium monumentis, adornâssem, pollicerer, fortè *Mandragoræ* mentionem injiciebat Vir Reverendus *D. Guil. Hatzfeldius*, Ecclesiæ hujusce Groninganę Pastor vigilantissimus, atque ut circa *Doudaim*, (de quibus Gen 3.) *Mandragoræ Poma* vulgo credita, sensus animi exprimerem, me invitabat. Succurrebat animo ocyûs, Nobilissimam T. Ampl. aliquando mihi quæstionem movisse circa *Mandragoræ Radices*, ac quid de putatitiis illis homunculis vegetabilibus, qui vulgo **Pisse-Dieffjes** vocantur, sentirem, inquisivisse: Ubi quidem pro re nata Fabulam superstitiosam

uno

uno verbo detexi. Utrique Fautori & Amico impræſentiarum, paulò pleniùs ſatisfacere libuit; Tuoque, Nobiliſſimo & Ampliſſimo Nomini hoc obſervantiæ τεκμήριον inſcribere. Multis equidem nominibus Tibi me dudum, obſtrictiſſimum agnoſco; atque eximium tuum in me favorem, ſingulari cum humanitate conjunctum, multoties expertus ſum; ut ingratus meritò videri poſſem, niſi gratitudinis aliquod indicium publicum exprimerem: Præterea meretur tua eruditio, ac ſingularis in rebus ad meliora ſtudia attinentibus curioſitas & induſtria, ut Te exoſculentur noſtræ Muſæ, ſibique gratulentur de tuo applauſu: miratæ utique jam pridem

dem tuam in reb9 Mathematicis ἀκρίβειαν, atque imprimis in Mechanicis ſolertiam. Hoc quippe ſingulari atque utiliſſimo ad res militares gerendas & expediendas ſubſidio Politicam Prudentiam, quâ dudum emines, illuſtriorem reddis; conſpicuus ſimul Arte & Marte; ac digniſſimus qui Arte Marteque Principi Celſiſſimo, Patriæque, tanta cum dignitate ſplendidiſſima præſtes miniſteria. Plura cohibeo: Utque hoc levidenſe munuſculum æqui bonique conſulas, meque tuis porrò annumerare pergas, officioſiſſimè rogo. Groningæ, IX. Cal. Martias, M.DC.LIX.

DISSER-

DISSERTATIO
De
MANDRAGORA
Ac primo
DE MANDRAGORÆ POMIS.
Vulgò habitis pro
DOUDAIM.
Genes. 30.

DE *Mandragora* dicturi, non omnia illa, quæ à Botanicis circa hanc consideranda veniunt, lustrabimus; sed pauca duntaxat, quæ notatu digniora dudum agitata sunt, præsertim

sertim circa ejus *Fructum* & *Radicem* contemplabimur: Ut ab una parte forsan quamcunque fœneremur lucem obscuritati, ab altera verò vulgi occurramus superstitioni in iis quæ rem Medicam concernunt.

2. Fert *Mandragoras Poma*, inter folia, quæ per terram sparguntur, sita: *Fœmina* quidem minora, sorbis similia, teste Diosc. *Mas* verò majora. Hæc vulgò indigitari creduntur Genes. 30. ℣. 14. 15. voce דודאים *Doudaïm*: quam sententiam post LXX Interpretes, ac Josephum, (qui μῆλα Μανδραγόρου vertunt,) aliosque Veteres, tuetur Levin. Lemn. de Occult. Natur. Mir. cap. 10. & Herb. Bibl. Explic. cap. 2. itemque J. Drusius peculiari tract. de Mandragora.

3. Equidem, cùm Ruben, Patriarchæ Jacobi Filius ex Lea, egressus tempore messis triticeæ, invenisset in agro *Doudaïm*, seu *Poma Mandragoræ*, ut putant, eaque ad Matrem suam detu-

detuliſſet; Rachel, illorum capta amore, à Sorore ea eblandita eſt: idque hac intentione, ut opinantur plurimi, quò eſu eorundem idonea redderetur conceptui, ſterilitatemque ſuam evinceret: Putant enim ab iiſdem conferri mulieribus vim fœtificandi, atque retinendi ſeminis efficaciam.

4. Sed, quod attinet Rachelis hanc intentionem, ea utique nequaquam ullo nititur Scripturæ fundamento. Nec verò rationi conſentaneum eſt (ne dicam nunc, experientiam nec ipſam conſentire,) virtutem ejuſcemodi Mandragoræ ineſſe: Cùm non modò hæc impenſè frigida exiſtat; ſed & ſoporifero effectu, ſeu narcotico, ſit prædita. Ut adeò ne quidem ad torridum æſtuantemque & quaſi exuſtum uterum contemperandum, (ut Lemnius ac Druſius interpretantur,) apta foret: utpote cùm plus à narcotica illius vi, ſeu ſtupefaciente qualitate, damni exſpectan-

ctandum sit, & quoad conceptum promovendum incommodi, quàm à refrigerio emolumenti: Ne jam dicam in exusta ejusmodi temperie non modò refrigerio opus esse, sed & humectatione, quam Mandragora haud ita commodè præstat, quippe vergens potiùs ad siccitatem, aut saltem non adeò multum humectans. Certè ad desideratum ejusmodi effectum, quem fingunt, longè præstantiores futuri fuissent cucumeres, melones, pepones, cucurbitæ, aliique fructus refrigerantes simul ac humectantes, sine narcotica tali, noxia, ipsique naturæ planè infesta qualitate.

5. Notatu digna est historia, quam recitat ipse Levin. Lemnius, Herbar. Biblic. Explicat. cit. loc. *Mihi*, inquit, *quid de Mandragora accidit, obiter enarrabo. Cùm æstivis mensibus (nam eo tempore poma Mandragoræ se proferunt,) semel atque iterum in Musæo nostro amabilem & speciosum ejus stirpis fructum negli-*

negligenter collocassem, ita somnolentus sum effectus, ut ægrè sopor excuti posset. Cùm autem obnixè obluctarer somnolentiæ, illamque excutere conarer, ægrè id obinui: nec rationem tanti Veterni inire potui: Tandem cùm quaquaversum dimovissem oculos, obtulit se à tergo Pomum Mandragoræ: quo amoto, atque in alium locum translato, factus sum alacrior, atque torporem depuli, omnemque oscitantiam discussi.

6. Atque hoc est, quod dicit Diosc. lib. 4. cap. 76. *Mala (Mandragoræ) soporem afferunt olfactu, & etiam si mandantur, itemque expressus ex iis succus: nimio tamen odore percussi obmutescunt.* Ac Serapio de simpl. cap. 343. *Exiccantur Poma & folia Mandragoræ: Et oportet ut in exiccatione eorum caveatur vapor ab iis: nam eorum odor facit Subeth*, id est, carum, seu soporem gravem. Quin & vinum ex infusione corticis radicum Mandragoræ dari iis, qui secari vel uri debent, testis est Diosc. cit. loc. *neque enim somno sopiti altiore dolorem percipiunt,*

cipiunt, inquit. Ex Rhaſe verò citat Serapio, puellam comediſſe quinque Poma Mandragoræ, & cecidiſſe ſyncope correptam.

7. An autem rationi conſentaneum videtur, cum hoc Mandragoræ effectu poſſe conſiſtere *vim* ejus quandam *fœtificandi?* ubi ſanè ſpiritus non ſopitos ſed excitatos eſſe oportet. Vel an non potiori jure credendum, uſu ejus potiùs tum omnem appetitum venereum, tùm & ipſam fertilitatem, extinctum iri? Videtur hoc utique Perſis perſuaſum, qui uno eodemque vocabulo *Vſtorenck* & *Aſterenck*, tum *Mandragoram*, tum *ſterilem mulierem*, denotant.

8. Qui verò poſſet uſus Mandragoræ facere ad *retentionem ſeminis*, cùm narcotica potiùs reſolvant partes, eaſque ad paralyſin aut apoplexiam diſponant, ad quam ipſe ſoporoſus affectus proximus gradus exiſtit: unde Dioſc. cit. loc. Poma Mandragoræ vocat

vocat χαρωτικὰ, id eſt, *carum inducentia*, (qui ſanè nihil aliud quàm leviſſima Apoplexia eſt;) ac nimiam perceptionem etiam ſolius odoris ἀφόνους ποιεῖν, ideſt *Apoplecticos facere*, tradit: Nequaquam verò vis illis tribuitur ullibi, quâ facultas retentrix poſſit videri vegetior reddi; veluti nec ſomnus ipſe, qui partium torporem conjunctum haberet, poſſet retentioni inſervire. Non jam dicam, ſemen maſculinum nequaquam in utero retineri; ſed ejus vi duntaxat fæcunditatem corpori muliebri, indeque ejuſdemque ſemini naſcituro, conciliari; (de qua re in Tract. de Gener. Fœtus egimus:) At quid ſomnus excitatus circa tempus coïtus, proderit retentioni conceptus poſtea futuri, præſertim narcoſi ſeu enervatione per ſtupefacientia utero inductâ?

9. Verè autem enervatio quædam, atque retentricis facultatis exſolutio, obtingit utero vi Mandragoræ: Unde

Dioscoride teste, *per se semioboli pondere appositus* (Mandragoras) *menses ciet atque partus*. Nec verò aliâ vi ullâ *semen pomorum epotum vulvam purgat*, quàm quòd torpore inducto uterus sinat contenta effluere: velut item per narcoticam vim ejus, hebetiore reddito partium sensu, atque humorum acrimoniâ retusâ, contingit *rubrum fluorem muliebrem sisti*. Nihil certè horum ad fæcunditatem conciliandam, aut conceptum in utero retinendum, confert.

10 Sanè, si nugari in re seria esset animus, dicerem potiùs, (siquidem *Poma Mandragoræ* voce *Doudâïm* intelligenda forent,) Rachelem præ tædio, quod ex complexu mariti non conciperet prolem, maluisse quoque omne desiderium concubitus sibi perire; atque hunc in finem poma illa desiderâsse, ad extinguendos Veneris igniculos. Certè non eâ intentione petiisse *Doudâïm*, ut conceptus promo-

promoveretur, vel maritale desiderium excitaretur, exinde liquet, quod, testante textu sacro, mariti concubitum sequenti nocte concesserit sorori, dummodò ab hac rem desideratam, nempe *Doudâïm*, quorum amore capiebatur, consequeretur.

11. Quòd si hîc medicinæ rationem habuisset Rachel, aut si eâ fuisset imbuta peritiâ medicâ, ut tam præclaram in sua vota Mandragoræ efficaciam didicisset; procul dubio curâsset sibi jam pridem, antequam ancillam marito tradidisset, id medicamenti genus conquiri, nec donec fortuito casu obtingerent, exspectâsset. Quòd si verò desiderii rationem scire cupias: Concupivit fortè fructus illos, ut iisdem vesceretur, ut existimat Josephus, scil. oblectamenti causâ; vel, ut Augustinus censet, appetiit eos ob raritatem; vel desideravit eos fortasse, (quæ conjectura Drusii est,) quia erant præcoces, (unde fortè in textu

additur *tempore messis triticeæ*,) solent enim primi fructus vehementiùs appeti; vel ob gratum odorem.

12. Absona autem illa opinio vulgata, de Rachelis intentione, hinc nata videtur: quòd, dum vocem *Doudâim* pro *Mandragora* acciperent, ac interim apud Dioscoridem ac Plinium observarent fortè, *Mandragoram* itidem vocari *Circæam* (à Circe venefica,) *quod credatur radix in amatoriis efficax esse*, (φιλτρῶν ἔιναι ποιητικὴ, ut habet Diosc.) hinc fertilitatis seu conceptus promovendi intentionem affinxerint Racheli. At sanè multum discriminis intercedit inter ea, quæ dicuntur in amatoriis efficacia, seu amorem ac concubitus desiderium excitantia, nimirum φιλτρὰ vulgò dicta, & ea quæ fertilitatem addunt: Suntque *Philtra* dicta, quæ mentem amatorio quodam quasi fascino in errorem pertrahunt, & quodammodò incantant, vel saltem libidinis affectum excitant;

excitant ; ob quam putatitiam ἐνέργειαν *Poma Mandragoræ* Belgis Dool-Appelen dicuntur, teste Levino Lemnio : quæ verò fertilitatem addunt ; ea quandoque cupiditatem veneream non modò non movent , sed contrà compescunt immoderatam , (velut ipsum semen virile dum conciliat conceptum.) Talem autem libidinem non affectâsse Rachelem , exinde satis superque liquet , quòd desideratos Doudâïm prætulerit commercio mariti , hocque præ illis indulserit sorori.

13. Sed insuper à ratione alienum est, voce *Doudâïm* in texu sacro *Madragoram*, vel *Poma Mandragoræ* indigitari: Etenim suavitatis seu oblectamenti atque fragrantis odoris causâ petiisse Rachelem illud ipsum , quod *Doudâïm* vocatur , verisimile evadit , factâ collatione loci Cantic. 7. ℣. 13. ubi voce *Doüdâïm fructus* aliqui *suaveolentes*, ac qui fragranti odore oble-

ctamento esse possent sponsæ sponsoque manifestè indigitantur; veluti ex reliquis ibidem commemoratis sensuum oblectamenta ibidem captantur: At *Mala Mandragoræ* graveolentia potiùs sunt: ita enim de Mandragora Plin. libr. 25. N. H. cap. 13. *odor gravis est*, inquit, *sed radicis & mali gravior*: præterquam quòd soporiferum spirent odorem, qui sanè in Cantico Amasiis, matutino surgentibus, ac recreationis causâ adeuntibus vineas, &c. acceptus esse non potuit.

14. Et si Orientalium versiones conferamus: In textu equidem Arabico, c. l. est *Luffâhh*: quod equidem denotat quoque inter alias species *Pomum Mandragoræ*, (cujus ipsa planta *Iebroubh* vel *Iabrohh* vocatur, non *Iebora*, ut Matth. & Serapionis Interpres habet, nec *Iabrohach*, ut itidem Matthiolus, nec *Iabrol*, ut Cremonens. apud Avic.) sed & omnino etiam alium quendam fructum denotat, huic loco valde consen-

consentaneum: Est enim *Luffâbh* item, teste Ibn Beitare, Peponis seu Melonis quædam species, in Syria & Ægypto frequens, colocynthidis instar, rubro & flavo delineata, grati odoris, unde & incolis voce Arabicâ *Schemmâm* & *Schemmâmah* dicitur (à *Schemma*, *olfacere*, unde & *Schemoum*, *res odorata*,) quamvis nonnullis etiam Incolarum *Luffâbh* vocetur: Persis dicitur *Dest anbouje* (q. d. *manus ordoramentum*;) Quidam faciunt mali Medici quasi speciem quandam, ob odoris gratiam; (atque affines nonunllas facultates:) Quippe, cortex calidus est, ventriculum roborat, flatus ex eodem dispellit; at pulpa difficilioris est concoctionis; odore cerebrum calefacit fructus, & obstructiones ejus aperit, flatusque ex eodem dissipat. Hæc Beitarides.

15. Hic idem fructus in versione Pentateuchi Persicâ Tawusi indigitatur: ubi *Doudâïm* redditur voce *Dest-*

anbouj, id est, ut diximus, *manus odoramentum*, (si ipsam vocis etymologiam spectes,) quòd fructus ille grati odoris causâ manu contineri atque contrectari soleat: Eâ enim voce dictam Melonis speciem, Arabibus *Luffâbh* vocatam, Syris & Ægyptiis *Schemmâmah*, denotari Persis, ex Beitaride citavimus. Si verò vocis Persicæ etymologiam spectes, posset *fasciculus herbarum fragrantium, qui manu contineatur*, een Handt-tuycker/ vel *amabiles flores* (ut vertunt Tremell. & Junius,) *in manus fasciculum colligati*, significari.

16. Confirmat verò superiorem nostram sententiam, quòd *Schemmâm* seu *Schemmamah*, (quo nomine diximus à Syris & Ægyptiis exprimi fructum prædictum gratissimi odoris, Arabibus item voce *Luffâbh* indigitatum,) vertatur à Clariss. D. Golio in Lexico Arabico, ex probatissimis Arabum Lexicographis, *Melonis genus parvum, colocynthidis instar, odoratum, striis*

striis viridibus, *flavis*, *rubrisque conspicuum*: Et in voce *Luffâbh* dicit, valere quoque idem quod *Schemmâm*. Quæ utique congruunt iis quæ ex Ibn-Beitare allegavimus.

17. Fortè cùm hoc fructu convenit quodammodò ille, qui à Mathiolo comm. ad cap. Diosc. de Mandragora, *mali aurei* nomine indigitatur: *Iam & aliud horum genus importari cœpit*, inquit, *pressum*, *orbiculatorum malorum modo*, *melopeponum more sectum*, *colore primum viridi*, *deinde ubi maturitatem senserit*, *in quibusdam plantis aureum*, *in quibusdam verò rubrum visitur*: *Ideoque vulgo appellatur* POMI D'ORO, *id est*, *mala aurea*

18. Nequaquam saltem pro דודאים *Doudâïm* Hebræorum, *Mandragoræ Poma* admittimus: ipsamque vulgatam opinionem, quâ absona intentio, ac neque Pomis Mandragoræ, neque sacro textui congrua, Racheli affingitur, planè rejicimus.

DE MANDRAGORÆ MANGONIIS.

19. Hisce verò de *Mandragoræ Pomis*, seu *Fructu* ejusdem, per herrorem supposito pro *Doudâïm* Hebræorum, delibatis, *Radicem* illius itidem excutiemus. Hæc vulgò creditur humanam effigiem repræsentare; atque ab iis qui minùs fabulis indulgere volunt videri, creditur esse illud ipsum, quod circumforanei impostores credulis mulierculis vendunt pro *Homunculo*, qui ex urina suspensi furis, in ipsis funestis locis, ubi facinorosi supplicio affici solent, enatus sit.

20. Nimirum, antiqua Fabula est, nondum fortè exempta omnium animis, ex urina suspensi furis, sub patibulo plantam enasci, (si plantam appellare licet,) cujus Radix Homuncionem pusillum referat, quem vulgus een Pisse-dieffen vocat: Quin imò, non effigie dumtaxat externâ Homunculum repræsentare; sed verè in tali

in tali effigie animalculum aliquod esse, atque animalis vitam sub terra vivere; evulsumque clamorem vel ejulatum edere: Neminem verò sine vitæ periculo hunc *Homunculum subpatibnlarem* effodere, quòd auditâ voce moriantur fossores. Hinc evelli fingùnt cane famelico alligato, cui pastus apponatur, homine interim, dum famelicus canis pultem seu intritum devorat, auribus antè pice obturatis, citato cursu ocyùs se subducente, ne voce auditâ periclitetur. Miram autem efficaciam ejusmodi Homullulis tribuunt Impostores, in procuranda felici fortuna possessori, mulierum sterilitate abigenda, seu concilianda fœcunditate, aliisque variis superstitiosis figmentis.

21. Videtur huic Fabulæ occasionem dedisse Flav. Josephus, qui lib. 7. de bello Judaico, cap. 25. de alia quadam planta, consimilia, nec minùs superstitiosa, habet: Vallis, inquit,

quâ civitas (*Macharuntis*) à parte septentrionali cingitur, quidam locus Baaras appellatur, ubi Radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem similis est colore, circa vesperam verò veluti jubar fulgurans. Accedentibus, eamque vellere cupientibus, facilis non est, sed tam diu refugit, nec priùs manet, quàm quis urinam muliebrem, vel menstruum sanguinem, super eam fuderit. Quin etiam tunc si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi fortè illam ipsam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo sine periculo, qui talis est: Totam eam circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terrâ sit conditum: deinde ab ea religant canem; illoque sequi eum à quo religatus est cupiente, radix quidem facilè evellitur, canis verò continuò moritur, tanquam ejus vice, à quo tollenda erat, traditus: nullus enim postea arripientibus metus

est,

est. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam operæ pretium est. Nam quæ vocantur Dæmonia, pessimorum hominum spiritus, vivis immersa, eosque necantia, quibus subventum non fuerit, hæc citò, etiamsi tantummodò admoveatur ægrotantibus, abigit. Hæc Josephus.

22. Hæc fabula postmodùm procul dubio, à Dæmone ipso, per nebulones circumforaneos, fictitiis ex lotio furum suspensorum furunculis genitis, est accommodata, paucis mutatis, ad fallendos superstititiosos homines, fovendamque in animis ipsorum execrandam superstitionem. At postmodùm fabula eadem, quòd fortè mendacium nimis crassum, de Homuncione ex Urina Furis genito sub patibulo, pelluceret, secundùm nonnulla Radici Mandagoræ aspersa est: utpote quæ jam olim ad incantamenta, veneficia, ac pelliciendos in amorem insanum animos, à famosissima

Circe, adhibita creditur. Certè Plinius ipse jam pridem circa hanc plantam effodiendam nimiùm superstitiosus fuit lib 25. Nat. Hist. cap. 13. *Cavent effossuri contrarium ventum*, inquit, *& tribus circulis antè gladio circumscribunt, posteà fodiunt ad occasum spectantes.*

23. Hinc ergo, qui fortè putidum nimis mendacium credunt de Homuncione genito sub patibulo, è Furis suspensi lotio, humanam illam figuram *Radici Mandagoræ* affingunt: ac interim consimiles ferè virtutes eidem inesse persuadent simplicibus ac credulis saltem mulierculis, ut crumenas earundem emungant: Interim verò arte quadam, ut mox dicemus, Mandragoræ quædam Mangonia confingunt, in humanam effigiem efformata, eaque pro Mandragoræ Radice magno pretio superstitiosis mortalibus divendunt.

24. Fraudibus verò suis vel hinc quoque pallium assuunt, quòd jam olim

olim Mandragoræ humana figura fuerit attributa: Ipſe namque pridem Pythagoras *Mandragoram* ἀνθρωπόμορφον vocavit; Columella *Semi-hominem*. Hinc & interpres Turca in explicatione vocis Perſicæ *Aſterenck* (quæ Mandragoram denotat,) dicit eſſe plantam *in Hominis figuram*, quæ & *Dſanam* vocetur. Significat autem *Dſanam* Arabibus *Idolum*, ſeu *ſimulachrum* alicujus rei, quod non ſine cultu vel ſuperſtitione aſſervatur.

25. Equidem non ſine ratione *Mandragoram* ἀνθρωπόμορφον dictam fuiſſe à Pythagora, cenſet Matthiolus cit. loc. Quippe quòd in univerſum omnes ferè Mandragoræ radices, à medio ad imum bifurcatæ proveniant, adeò ut crura hominum modo habere videantur: Quapropter, inquit, ſi eò effodiantur tempore, quo fructum gerunt, qui mali inſtar ſuper folia ad terram procumbentia, brevi pediculo appenſus, parum à radice diſtat (ut ita

ita quasi caput supra truncum in terra delitescentem referat,) Hominis, cui brachia desint, effigiem quadantenus repræsentant. Hanc quidem rem nulli, quod sciam, inquit Matthiolus, vel pauci sunt, qui rectè acceperint: Quin potiùs plerique hujus sententiæ ignari, adducti sunt, ut Pythagoræ & Columellæ id maximè vitio verterint, ut qui eos de Mandragora fabulatos esse crediderint.

26. Certè occasionem hinc arripuêre Mangones illi improbi, ac impostores perditi, Mangoniis suis speciem quandam ex Veterum autoritàte affingendi; suaque fictitia ac superstitiosa simulachra, pro Mandragoræ radicibus vendendi. Poteſt fortasse non minùs ipsorum scopo inservire, si dixerint, *Mandragoram* dictam esse, Man-drager / quòd nempe *virum substineat* seu *hominis effigiem gerat*: Verùm Dioscoridi, Galeno, aliisque Græcis, quibus jam olim planta ipsa

ipsa Μανδραγόρας dicta, illa appellationis ratio Germanica planè fuit incognita: Nec ita apud prudentes, ac Linguæ rerumque peritos, plus fidei invenient, quàm si ad confirmandas suas fraudes addant *Marem* & *Fœminam* hanc plantam à Dioscoride constitui.

27. Utique *Radix* ipsa *Mandragoræ* humanam figuram nequaquam habet (quamvis inferiori hominis parti, ad umbilicum usque, vel ultrà, quodammodò assimilari queat: unde *semi-hominem* Columella appellavit. Interim ex ipsa, nec non Bryoniæ, Arundinum, aliarumque plantarum radicibus, adhuc virentibus, sculpunt impostores imagunculas humanâ specie, atque utrumque sexum emoliuntur; ac credulæ turbæ persuadent eâ formâ ac specie è terra enatas.

28. Quò verò omnia fingantur accuratiùs, hordei ac milii grana (vel avenæ) infigunt iis locis, ubi pilos exo-

litati & saluti quantum possumus consulimus, hæc silentio haudquaquam involvenda duximus, ut palàm omnibus fiat, quibus fallaciis, & fraudibus, maximo cum detrimento, & vitæ sæpe discrimine, homines ab his impostoribus & nebulonibus decipiantur.

30. Sed aliud imposturæ seu ludibrii genus refert Thom. Bartholinus Cent. 2. Hist. 51. quod sub patibulo in Helvetia erutum atque Hamburgo Hafniam sibi missum, asserebat Mercator quidam juvenis, magno id ipsum pretio prostituens. Mandragoræ radicem reverà id non fuisse, testatur Bartholinus; neque ex alia quacunque radice efformatum: quippe corpus veris ossibus, musculis, atque articulis, erat donatum; ut verè animalculum alicujus corpus esse dubitari minimè posset: Caput sphæricum, prominentiis quatuor, oculos, nasum, & os mentiebatur, crinibus longis

gis per tergum demiſſis. Ex muſculis exſiccatis abſciſſum erat fruſtulum, quod Epilepſiam in muliere curâſſe ad majorem fidem narrabatur: Simile memini me olim videre in Patria mea; quod ſimiliter Virunculus ſub patibulo natus ferebatur: ubi, quamvis fabulæ fidem non haberem, valde tamen juvenis etiamnum fraudem detegere non potui, nec dabatur occaſio liberiùs animalculum contrectandi.

31. Aperit dolum Bartholinus, re accuratiùs cum D. Fuirenio Botanices & Anatomiæ ſcientiſſimo, examinatâ. Caput ex radice gallæ effectum oculis patuiſſe, inquit, agglutinatum trunco: Id ne animadverteretur, collo circunductum erat collare ex crinibus contextum: Crines appoſiti ex fibrillis radicum exſiccatis. Corpus reliquum Rana erat exiccata, & in erectam hominis formam protenſa: Os namque ſternì breve erat, atque in latum (ut in rana,) prominebat; digiti

manus pedumque quatuor tantùm; qui cùm in rana longiores sint, hîc decurtati erant & obtusi: Adhæc, factâ cùm ranæ sceleto comparatione, abdomen utrobiqne oblongiùs, & os pubis prominens, apparuit. Ita detecto fuco spe suâ excidit Mercator.

32. Pleniorem hæc fabula de Homunculis illis patibularibus, ex urina furis suspensi prognatis, refutationem non meretur; utpote quæ nulla specie fidem apud Cordatos queat invenire, cùm nec materia commemorata, nec locus, nec ulla causa efficiens, tali generationi respondeat; nec peculiaris in urina suspensi furis facultas concipi queat, nec prærogativa ulla, ad tam nobiles effectus producendos, sub patibulo inveniri. Ut omnino hæc pessimorum hominum ludibria, cum illo Satanæ impostura circa ortum ac curationem morbi Man-schlacht dicti (quem aliquando in lucem eruimus,) in unum compingi debeant,

debeant, atque ad autorem ſuum genuinum, Diabolum ipſum, relegari.

DE AGNO VEGETABILI.

33. Congener illorum Homuncionum ortui fictitio videri poteſt ortus *Agni Vegetabilis Scythiæ*, niſi quòd ſuperſtitio ſimilis non ſit admixta: Fabuloſa ſaltem, ac certè jocularis hujuſce origo eſt, ac habitudinis ſubſtantiæ ratio planè commentitia; quamvis haud æquè ut præcedentis abſurda; unde & magnorum virorum fidem ſubinde invenit.

34. Fortun. Licetus libr. 3. de ſpont. viv. ort. cap. 45. Ex Odorico Utinenſi, in itinere, quo perrexit ad magnum Cham, hæc refert. Rem admirabilem ſcribo, inquit, non à me viſam, ſed ab hominibus verè fide dignis auditam, aſſerentibus, in quodam regno eſſe aliquos montes, nomine Capeſcos, ubi naſcuntur permagni *Pepones*, qui matureſcentes aperiuntur,

riuntur, & intra eos reperitur *animal, ad instar Agni pusilli*, qui habet *Peponem & carnem* simul: Etsi hoc videtur incredibile, tamen, ut in Hibernia sunt *arbores, quæ producunt aves*, ita possunt verè tales ibi reperiri pepones. Et in alio loco idem repetit, inquiens: Quodam die vidi *belluam ad magnitudinem Agni*, albam, ad instar nivis; cujus lana æmula gossipii facile à cute vellebatur; circumstantes interpellati dicebant, datam à magno Cham cuidam Baroni pro carne optima humano victui inter alios omnes: subdiderunt montem esse Capsii nomine, in quo *pepones* nascuntur magni, qui maturescentes hiant, & hujusmodi bestiam exerunt. Hæc Fort. Licet.

35. Ex fide aliorum loquitur Autor, quos fide dignos credit; at quos ego similiter ex aliorum fallaci relatu persuasos crediderim, non per omnia fidem merentium. Rectè autem comparat

parat hunc *Agnum Vegetabilem*, cum *Avibus in Hibernia nascentibus ex arboribus*, seu cum *Anseribus Scoticis* spontaneo ortu provenientibus, ut ajunt: rectèque illius genesin expositam non magis quàm horum incredibilem esse contendit: Ad discutienda ergo commenta anilia, atque dispellendas nugas, horum itidem fabulam mox detegemus; ubi priùs Scaligeri *de Agno Vegetabili* sententiam subjunxerimus.

36. Sic verò Scaliger Exerc. 181. f. 29 de illo *Agno* disserit: Superiora, inquit, ludum putes, præ ut & admirabilis *Tartaricus frutex*. Tartarorum Horda primaria Zauolla est, vetustissimæ nobilitatis commendatione. In eo agro serunt *semen*, *seminis Melonis simillimum*, sed minùs oblongum. Ex eo satu plantam exire, quàm *Boramez*, id est, *Agnum* vocant. Crescit enim Agni figura, ad pedum ferè ternûm altitudinem: quem pedibus, ungulis, auribus, toto capite,

præ-

præterquam cornibus, repræſentat. Pro cornibus pilos gerit, ſingularis cornu ſpecie. (N B. Inter animalia monocerota, hic quoque Agnus videtur referendus.) Obducitur, inquit porrò corio tenuiſſimo: cujus detracti uſus ad capitum tegmina incolis. Ferunt internam pulpam Gammari referre carnes. Cæterùm è vulnere quoque ſanguinem manare. Dulcore eſſe admirabili. Radicem humo exertam ſurgere ad umbilicum uſque. Illud miraculi fovet magnitudinem. Quamdiu vicinis obſidetur herbulis, tamdiu vivere, quaſi Agnum in læto paſcuo. Abſumptis illis tabeſcere, atque interire. Idque non ſolùm vel caſu, vel tractu temporis, ſed etiam experiundi gratiâ, ſubtractis atque ablatis evenire. Quin illud auget admirationem: appeti à Lupis eam, non item ab aliis beſtiis, quæ carne veſcantur.

37. Hæc equidem Scaliger; qui tamen ne ſeriò hiſtoriam narrare cre-

datur, quam ipse reverà pro fabula habet, nequaquam verò approbat, (ut perperam de eo refert Sennert. Hypomn. Physic. 5. capit. 8.) lepidè addit: *Hoc* (quod nempe de Lupo eam plantam appetente narraverat,) *quasi condimentum, atque intritum, ad fabulæ, & Agni allusionem. Illud scire velim,* inquit, *Ab uno stipite, quatuor dissita crura, cum suis pedibus, qui possint provenire, atque produci.* Apparet saltem narrationem Scaligeri non per omnia congruere narrationi Odorici: ut adeò vel Agnus Vegetabilis hujusce à Scaligeri Agno Vegetabili, diversus sit: vel fides primorum Autorum non æquè proba sit. Mitto nunc Andr. Libavium part. 2. singulari Exercit. de *Agno Vegetabili Scythiæ.*

DE ANSERIBUS SCOTICIS.

38. Sed ad *Avium ex arboribus in Hibernia nascentium.* contemplationem nos invitat Odoricus. Age, & hanc

& hanc Fabulam prioribus ſubnectamus. Mira à variis de ſpontanea *Anſerum Scoticorum*, aut ſimilium *Avium*, ortu referuntur: Sunt qui exiſtimant, in Orcadibus Inſulis ſupra amnium ripas eſſe arbores, quæ ferant fructum, *Anatibus* ſimilem, qui, cùm maturus eſt decidat, & ſi in undas cadat mox animari & volucrem fieri, ſi verò in terram, putreſcere. Horum ſententiam amplexus eſt Odoricus Utinenſis, ſuperiùs citante Fortun. Liceto, uti exinde veriſimilitudinem ſuo Agno Vegetali adſtruat.

39. Hanc ſententiam rejicit Hector Boëtius in deſcriptione regni Scotiæ: Aſſeritque, perperam vulgò credi in illis Inſulis (Hebridibus) naſci in arboribus ejuſmodi Aves, ſive Anſeres, ſive Anates; ſed ipſi mari ſtatuit illis in locis ineſſe vim alites ejuſmodi procreandi: Si enim lignum in id mare projicias, inquit, temporis tractu primùm in eo vermes ex cavato

ligno naſcuntur, qui ſenſim formati capite, pedibuſpue atque alis, plumas poſtremò edunt: demum Anſeribus magnitudine æquales, cùm ad juſtam pervenerunt ætatem, cœlum petunt avium aliarum more, inquit, remigio alarum per aëra delati.

40, Sententiam autem ſuam hanc confirmat partim autoritate aliorum; partim quòd ipſe viderit navem ingentem, in portum Edimpurgenſem reductam, poſtquam tres perpetuos annos ad unam Hibridam in anchoris conſtitiſſet, cujus trabes, qua parte merſa fuerat, exeſæ, partim vermium ejuſmodi rudium, perfectamque formam nondum habentium, partim abſolutarum avium magnum numerum oſtenderint. Similiter Tornerus (citante Fort. Liceto lib. 3. de ſpont. viv. ort. c. 47.) Quum ad certum tempus, inquit, malus navis in mari computruit, aut tabulæ aut antennæ abiegnæ, inde in principio veluti fungi erum-

erumpunt; in quibus temporis progressu manifestas avium figuras cernere licebit; deinde plumis vestitas, postremò vivas & volantes.

41. Quod ipsum maris tractum attinet, cui natalis harum alitum locus adsignandus sit, eum non unum eundemque omnes definiunt: Munsterus ad Orcades Insulas nasci statuit; alii ad Insulas Scotiæ; alii toti illi tractui inter Scotiam & Orcades, & inter Hiberniam & Hibrides natalem illis locum tribuunt; alii in quocunque mari eas nasci volunt, modò naves confectæ sint ex arboribus in Scotia genitis. Adeòque hi non tam mari vim illam plasticam tribuunt, quàm lignis ipsis.

42. Sed non tam ligno quàm mari potiùs vim illam generatricem tribuendam esse hoc argumento urget prædictus Boëtius, quòd ipsi algæ marinæ conchas adnatas viderit; in quarum testis non piscem, sed avem, &

pro illius magnitudine testas quoque adauctas, conspexerit. Ita Scaliger Exerc. 59. sect. 2. Allatam esse Francisco Regi concham non admodùm magnam, cùm avicula intus penè perfecta alarum fastigiis, rostro, pedibus, hærente extremis oris ostraci. Quamvis & ex lignis putrescentibus illi avium generi originem tribuat Scaliger ibidem; sed longè aliâ ratione quàm præcedentes: In Oceano Britannico, inquit, magis mireris, ignotam vobis avem, Anatis facie, rostro pendere de reliquiis putridis naufragiorum, quoad absolvatur, atque abeat quæsitum sibi pisces, unde alatur.

43. Michaël Meier in tractatu de volucri arborea, capit. 3. (citante Sennert. Hypomn. Physic. 6. cap. 8.) è conchis tales Anseres nasci tradit, seque ferè centum ejusmodi conchulas vidisse, iisque apertis fœtus avium exiguos, veluti ex ovo mox prodituros,

turos, cum omnibus membris ad volatum necessariis notavisse, & in manibus habuisse: Conchularum verò ortum hunc refert, quòd, si quando malorum nauticarum, pice illitarum, portio in aquas eas Oceani, in extremis partibus Scotiæ, non procul ab Orcadibus aut Hebridibus, deciderit; ibique aliquandiu jacuerit, cariem non modò sentiat à vermibus intus generatis, sed quoque ab alga seu gramine marino, undiquaque tegatur: algâ autem se in foraminula à carie relicta insinuante, successu temporis, aït, ab altera parte cujusque graminis conchulas crescere exiguas; ut singulæ singulis graminibus adhærescant, eaque partibus acuminatis complectantur, hasce postea aperiri ut fructus maturatus suâ sponte excidat ad volatum,

44. Matthias Lobelius (cui consentit Petr. Pena,) in stirpium observationibus sub finem: Non solùm ex

Scotia, sed etiam ad Tamesin amnem, quæ Londinum præterfluit, Conchas pediculo rugoso crassiore è navis annosæ carina avulsas habemus, inquit: Eas verò valde pusillas, circinatæ ferè rotunditatis, foris albidas, lucidas, leves, esse testatur, tenuitatem testæ ovaceæ fragilem, biforem, mituli more præferentes, nuci amygdalæ compressæ pares: pendulas fuisse ad imum ventricosæ navium carinæ, musco & limo semiputridæ, singulas mediante quodam quasi fungi pedicello, parte alterâ carinæ innato, alterâ latiusculè conchæ basi inserto, quasi vitam alimoniamque inde sugerent aviculæ, quarum rudimenta è summa parte conchæ hiulcæ conspicerentur: pediculos autem illos è vermiculis prognatos esse, quod alii volunt, se non potuisse scire, quin imò ne credere quidem, testatur. Ex ejusmodi autem conchulis aviculas excludi asserit, quæ in *Ana-*

tem

tem aut congenerem *Avem* adolescant.

45. Mitto plura, quæ de spontanea Anserum Scoticorum generatione apud alios Autores passim referuntur: Videri insuper de hisce possunt Munster. in Cosmog. libr. 2. cap. de Scotia, Cardan. de variet. rerum, Ortel. in Scotia & Hibern. Corn. Scribon. in Epit. Histor. de Gentib. Septentr. Alex. ab Alexandr. de diebus genial. libr. 4. cap. 9. Anton. Torquemad. in Hexaëm. Johan. Baptist. Port. in Phytognom. Aldrovand. in Ornithol. & de Testaceis libro 3. cap. 178. Patet saltem ex prædictis, quàm sibi consentiant Autores circa rationem geneseos illorum *Anserum* vel *Anatum*, aut *consimilium volucrium*: dum alii eas ex arboribus nasci, alii vi maris produci, alii vi certorum lignorum, existimant; ac rursum alii primò vermem fieri, eumque sensim in aviculam transformari; alii in

conchis mox aviculæ rudimentum apparere; quas alii mediante algâ, alii mediantibus pediculis, secundùm nonnullos ex ligno immediatè, secundùm alios ex vermibus ligni prognatis, adhærescere ligno tradunt: alii alia comminiscuntur, suumve fabulæ condimentum addunt.

46. Equidem ex ligno putrescente vermes nasci, ipsosque vermiculos in alati animalculi genus transformari posse, mirum utique non est: velut nec præter rationem videtur, in conchulis quibusdam volatilia animalcula subnasci: At illa ipsa animalcula adolescere in *Anseres* vel *Anates*, velut à ratione alienum est; ita nemo est qui id ipsum se vidisse asserat, utut & conchas ipsas, & animalcula volatilia in conchis imperfecta etiamnum; aut in ligno vermes, tum rudes, tum pennatos, atque sensim ad volatilium genus tendentes, observârit.

47. Fabulosa persuasio hinc orta videtur, quòd cùm Nautæ passim circa Scotiæ Insulas, Hebrides, atque Orcades maris Caledonii Arctici, totumque illius plagæ tractum, observarent innumerabilem atque stupendam copiam ANNATUM atque ANSERUM, aliarumque varii generis *Alitum*; illarum verò natalem locum ignorarent, nec primum earundem proventum cernerunt; interea verò uberrimam animalculorum, etiam alatorum, ex lignis atque conchis genesin iisdem in locis observarent: diversissima pro uno eodemque sumpserunt; atque animalcula illa spontaneo ortu genita, in grandiora illa volatilia succressere existimârunt.

48. Ut adeò rectè Carolus Clusius, in Auctario Exoticorum, ita de illo avium genere ex Hojero referat: *Claiks* sive *Claikgees* Scotis, *Bernacles* Anglis, *Rodgees* Hietlandis, avis

est per autumnum hiememque duntaxat conspicua formâ, Anati vicina. Hujus natalia cùm ignorarentur, factum est, ut vulgus primum ejus protoplasma sive rudimenrum censuerit esse *testas* quasdam albicantes, adnatas truncis sive fragmentis ligneis, quæ maris fluctibus in arenam littusve propelli hîc solent, ubi ligna alias non crescunt, & formam *aviculæ* istius quodammodò æmulantur. Vivam tamen, inquit, & omnibus modis absolutam avem ex massa illa testacea evasisse, aut prodiisse, nemo est inventus qui se vidisse asserere fuerit ausus. Addit ulteriùs Clusius: *Aviculæ* porrò non sunt, quas in Orcadum arboribus mari vicinis nasci vulgò putant, & *Bernacles* sive *Rodgans* appellant; sed *Aves*, Anate ferâ non minores, ut ego aliquoties vidi, inquit, imò ipsarum carnem etiam gustavi: Meras autem *fabulas* esse, quæcunque de earum natalibus hactenus

fuêre

fuêre tradita, à Batavis, qui ante paucos annos ad novam Zemblam navigârunt, & fretum Nassovicum, vulgò Weygats appellatum, superarunt, est deprehensum. Eas etenim aves in aliquot scopulis incubantes suis ovis observârunt, quarum nonnullas, & multa illarum ova, in navim retulerunt. Hæc Clusius.

49. Confirmat genuinam hanc illarum Avium genesin Gerhardus de Vera, Amstelrodamensis, in sua Navigatione ad Sinas: Tum remigantes, inquit, ad Insulam quæ media erat, in ea multa ova *Berniclarum*; (quas Hollandi Rot-gansen appellant,) & ipsas nidis incubantes invenimus; quæ fugatæ clamabant Rot / Rot / Rot / (unde illis nomen,) & lapide jacto unam occidimus, quam coctam edimus, cum circà sexaginta ovis; quæ in navem detuleramus. Isti *Anseres*, sive *Berniclæ*, fuerunt veri Anseres Rot-gansen dicti, quales magnâ quantitate

ſingulis annis circa *Wieringen* in Hollandiam veniunt & capiuntur ; quas hactenus ignoratum fuit (magnum Albertum hîc non viderant,) ubi ova ponerent, & pullos educarent: Hinc factum, inquit, ut nonnulli autores non veriti ſint ſcribere, quòd in Scotia in arboribus naſcantur, è quarum ramis ſupra aquam expanſis ſi fructus in aquam decidant, Anſerum pullos gigni; qui verò in terram, corrumpi, nec ad frugem pervenire: quod falſum eſſe nunc apparet.

50. Ad confirmandam rei veritatem hoc unum addam ex Harveo de Gener. Animal. Exercit. x i, *In Scotia Inſulis orientalibus deſertis*, inquit, *tanta omnis ferè generis avium marinarum copia reperitur, ut, ſi, quæ à fide dignis accepi, retulero, verear ne fabulas majores narrare videar, quàm quas autores varii de Anſeribus Scoticis ex arborum quarundam fructibus, (quos nunquam viderunt,) in mare delabentibus prognatis, tra-*

tradiderunt. Quæ ipſemet vidi, bonâ fide ediſſeram. Eſt inſula parva, Scoti Baſſe nominant, (ex hac una Lector noſce omnes) non procul à littore in alto mari ſita, abrupto & confragoſo clivo editiſſima; veriùs ſaxum ingens aut ſcopulum dixeris;) haud ampliùs mille paſſuum circuitu amplitudo ejus clauditur. Hujus Inſulæ ſuperficies, (menſibus Majo & Iunio,) nidis, ovis, pulliſque, propemodùm tota inſtrata eſt, adeò, ut vix uſpiam, præ eorum copia, pedem liberè ponere liceat: tantaque ſupervolantium turba, ut (nubium inſtar) ſolem, cœlumque auferant; tantuſque vociferantium clangor & ſtrepitus, ut prope alloquentes vix audias. Si ſubjectum mare inde, (tanquam ex edita turri, & altiſſimo præcipitio,) deſpexeris, idem quoquoverſùm infinitis diverſorum generum avibus natantibus, prædæque inbiantibus opertum videas. &c. Si circumnavigando imminentem clivum ſuſpicere libuerit, videas in ſingulis prærupti loci crepidinibus, & receſſibus, avium cujuſlibet generis & magnitu-

dinis

dinis ordines innumerabiles: plures sanè, quàm illuni nocte, sereno cœlo stellæ conspiciuntur: si advolantes, avolantesque eminus adspexeris, apum profectò ingens examen credas. Haud facilè dixerim, quantus reditus quotannis ex plumis, & nidorum (foco utilium) reliquiis, ovorumque coctorum commercio Possessori accedat: adeò, quod ipse mihi narravit, fidem exsuperat. Hæc Harveus.

DE PELICANO.

51. QUemadmodum Autores passim plurima sunt fabulati circa *Anserum Scoticorum* ortum; ita Antiqui admiranda finxerunt circa *Pelicani* naturam ac proprietates: Illorum contemplatio ex occasione instituta, novæ circa *Pelicanum* contemplationi occasionem præbet; ut, quantum fieri potest hîc quoque ficta à veris discernamus.

52. Varia equidem apud Augustinum, Gregorium, aliosque Patres, occur-

occurrunt de hac Ave, plus fortè oble-ctamenti conferentia, quàm certitudinis habentia: quæ quidem, utut ex antiqua persuasione sint hausta, ac omnino fabulosa existant, commodè tamen ad ædificandam pietatem, morumque probitatem commendandam, nec non declaranda salutis nonnulla mysteria, per similitudines, afferuntur; apud eos imprimis, quibus ejusmodi fabulæ pro veris historiis habentur, quique Relligionis veræ dogmatis innutriti, hujusce fundamentum norunt nequaquam in fabulis aut figmentis humanis quærendum, sed unicè è θεοπνεύστῳ Scriptura eruendum.

53. Ineptum verò, nec minùs periculosum consilium est, apud Ethnicos, atque eos qui à fundamentis veris Relligionis Christianæ alieni sunt, ejusmodi fabulis, desumptis à *Pelicano, Phœnice*, aut similibus, uti velle, ad confirmanda Religionis nostræ dogmata: Ex quo facilè fieri potest, ut increduli

credant,

credant, tam lubrico ac fallaci fundamento inniti ipsamet profundissima Relligionis nostræ mysteria.

54. Singulari Pelicano ἀντιπάθεια cum serpente tribuitur; fortasse non præter rationem aut veritatem: Sed attexuntur fabulosa, impossibilia: Ajunt, dum evolat Pelicanus, ut pullis suis alimenta quęrat, serpentem interea per arborem in nidum illius irrepere, atque halitu venenoso morsuque lethali pullos interficere: Matrem reversam per triduum suos pullos lugere; postea verò confodere proprium pectus suo rostro, ac sanguine emanante conspergere pullos, eosque eâ ratione vivificare.

55. Alii aliter fabulam adornant: Nempe, Pelicani pullos semimortuos aut exanimes edi in lucem, ajunt; hosce verò sanguine materno vivificari fabulantur, non secùs atque ajunt catulos Leonum excitari patris rugitu: Verum effuso sanguine matrem adeò debilitari, ut propemodùm emoriatur; unde

unde pulli evolare cogantur, ac sibimet ipsis victum quærere: Nonnullos horum per insitam στοργὴν commotos cibum matri afferre; alios ceu degeneres piam matrem negligere: unde & ipsa convalescens gratos refoveat, ingratos repellat & arceat.

56. Mitto id genus plura, quibus veneranda Antiquitas partim Salvatoris in suos electos amorem, partim parentum in liberos στοργὴν, horumque pietatem parentibus debitam, bonâ intentione adumbrare voluerunt: In ipsam avem, quænam sit, inquiramus propiùs; & an fortasse fabulæ origo alicundo erui queat in lucem, dispiciamus.

57. Non una in Sacrarum Scripturarum Versionibns *Pelicani* fit mentio: quamvis dubium sit vel incertum quo vocabulo Hebræo propriè denotetur; cùm non unum in Sacris *Pelicani* significatione vertatur. Vulgatus Latinus Interpres nomen קאת *Khât* exponit *Pellicanum*, Psal. 102. ℣. 7. & consentiunt

illic

illic LXX. Interpretes: qui tamen Levit. 11. ℣. 18. dubium relinquunt, an vocem קאת *Khât*, an verò רחם *Rabhm* Πελικᾶνα tranferant: Iidem verò hoc significatu reddunt vocabulum חסידה *Chasîdah*, Deuter. 14. ℣. 17. quod alii *Ciconiam* interpretantur.

58. Arist. in Histor. Anim. libr. 8. cap. 12. itemque libr. 9. cap. 10 Πελεκᾶνες vocat aves, quos Interpres vertit *Plateas*: velut hoc ipso nomine τὸ קאת *Khât* Hebræorum interpretantur Tremell. & Junius, Psal. 102. ℣. 7. itemque Lev. 11. ℣. 18. nec non Deut. 14. ℣. 17. Ac congruit omnino descriptio *Platearum* Plinii, cum descriptione Πελικάνων Aristotelis. Dicuntur autem *Pelicanes* Aristoteli libr. 8. Hist. Anim. cap. 12. de loco in locum migrare, & de Strymone amne ad Istrum avolare, prolemque sibi facere. Nimirum, similis quoque *Ciconiarum* natura est, ut in alias regiones migrent, ubi prolem producant.

59. Idem

59. Idem Arist. libr. 9. cap. 10. *Pelicanes*, inquit, *qui in fluviis agunt, conchas majusculas læves devorant: quas ubi suâ ingluvie coxerint, evomunt, ut biantibus jam carnes eximentes, eas comedant.* De *Platea* autem Plinius libr. 10. cap. 40. in eundem modum inquit: *Cùm devoratis se implevit conchis, calore ventris coctas evomit, atque ita ex iis esculenta legit, testas excernens.* Certè Pelicanus Antiquorum avis aquatilis esse videtur, aut delectari saltem locis aquosis: quamvis Franz. Anim. Hist. sacr. part. 2. cap. 4. *duo genera Pelicanorum* constituat, *unum* quod gaudeat aquis & stagnis, quodque piscibus vescatur, (de quo Arist. cit. loco;) *alterum* quod amet solitaria terrestria, quod nempe vescatur venenosis serpentibus, lacertis, & aliis cibis similibus, (cui nimirum prædicta fabula ἀντιπάθειαν cum serpentibus attribuit.)

60. Aldrovandus Ornithol. libr. 19. cap. 2. *Pelicanum palmipedem* avem asserit,

rit, eumque pro *Onocrotalo* habet, quem Plinius à Platea distincto loco describit, libr. 10. cap. 47. ubi, *Olorum*, inquit, *similitudinem Onocrotali habent: nec distare existimarentur, nisi faucibus ipsis inesset alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut sit capacitas; mox perfectâ rapinâ sensim in os reddita in verum alvum ruminantis modo refert.*

61. Aristoteles certè similem ingluviem tribuit suo *Pelecani*, vocatque τὸν περὶ τῆς κοιλίας τόπον: nec abludit ipsa Pliniana *Plateæ* descriptio. Nonnulli *Ardeam* esse opinantur: sed hæc cùm tali saltem ingluvie careat, pro Pelicane Aristotelis nequit haberi; ipseque Aristoteles peculiari loco lib. 8. cap. 3. de Ἐρωδιοῖς atque Λευκερωδιοῖς *Ardeolis* taque *Albardeolis* agit, easque *fidipedes* esse testatur. Ac manifestè quidem Plutarchus & Ælianus Pelicanem ab Ardearum genere discernunt, ut notat Aldrovandus.

62. Ki-

62. Kilianus in Onomaſtico *Pelicanum* vocat, qui noſtratibus dicitur **een Lepelaer**/ ac *Plateam* appellari aït à cochleari, cujus ſimilitudinem quandam Pelicani habeat roſtrum. Similiter Adr. Junius in Nomenclatore. Certè, ſi hæc avis pro Pelicano habenda, maniſeſtè fabula arguitur de pectoris vel lateris apertura obtuſiore illo roſtro. At Onocrotalus latioris roſtri partem anteriorem acuminatam ac invurvam habet: ut vidimus ipſimet in Onocrotalo, qui Olori quoad reliqua ſimillimus, ingluvie, de qua dictum, exceptâ.

63. Pulli Pelicanorum parentes, ubi conſenuerunt, paſcunt, ut ex Æliano refert Kilianus, veluti Ciconiarum etiam & Herediorum (ideſt Ardearum,) quòd in ipſis nutriendis ſingulari benevolentiâ parentes utantur priùs; Cùm enim aliunde cibus non ſuppetit, eſculenta quæ priùs ederunt, evomunt, & ad educandos pullos convertunt, & ad volandum imperitis

peritis ipsis duces sunt. Addit verò Kilianus; Quæ de Pelicano peregrina ave pictores finxerunt, & à quibusdam literis prodita, quòd rostro pectus aperiat, sanguinemque super pullos suos mortuos effundat, ut eos vivificet, nullo affirmare experimento possunt.

64. Sed Scripturæ voces excutiamus propiùs, perpendamusque an fortè per easdem, collatis aliis Orientalibus, nonnihil lucis obscuritati rerum mutuari queamus. De vocibus quidem Hebræis קאת *Khât* & חסידה *Chasidah* multis agit Aldrovandus cit. loc. Arabica autem versio Psal. 102. ℣. 7. pro קאת מדבר habet עיהב ברמי *Aihbaba bormija*, ubi vertunt Maronitæ *nigredinem ollæ*; at textum Hebræum Pagninus vertit *Pelicanum deserti*.

65. Equidem, putem omnino in M.S. Maronitarum pro ברמי legendum fuisse ברי *Berrija*, quo *solitudinem colens*, seu *in deserto agens*, denotatur: (facilè

(facilè quippe in scriptione Arabica à Scribariis ille error committitur, ut videatur ipsi *Ie* litera aliqua *Mim* præcedens adhærere, quæ tamen nulla sit:) Vox autem *Aibhab* videtur denotare vel connotare *abominationem* quandam, ac quasi *detestationem*; quam ideo Maronitæ vertunt *nigredinem*: Reverà autem hoc loco *Avem* quasi *abominandam* denotare videtur: A qua significatione non abludit R. Abraham Ps. 102. & apud Levit. citante Aldrovando: *Avis est*, inquit, *solitudinem amans, à vomendo dicta, cujus vox (ceu cohi, idest ploratus,) Kik dicta.*

66. Huc item spectat, quod ab Aldrovando notatum: *Onocrotalum* in Austria appellari **een on-vogel**/ quasi dicas, *absurdam avem*, (vel *fœdam avem*,) ut hominem absurdum (vel fædum seu imcompositum moribus,) appellamus **een on-mensch**. Arabs & Persa Lev. 11. ℣. 18. קוק *Kouk* vertunt. Quò spectat id quod itidem habet Aldrovandus: Nonnulli vocant קוק, *Kik*, & *Hakik*,

quam avem Judæi *Cuculum* putant: Atque ita cit. loc. vocem Hebræorum *Khât* interpretatur Arias Montanus; Pagninus verò *Pelicanum* ibidem vertit: Franzius loco super. cit. inquit Hebræi dicunt, se nescire quænam sit illa Avis: At Abraham Esre Lev. 11. Avem, inquit, dicunt esse, quæ naturâ eâ est prædicta, ut abjiciat fætus suos: Is nutem est *Cuculus*, ut eruditi quidam indicant. Videtur ante illa appellatio Persis & Arabibus assumpta esse ab Hebræis: Saltem Persica appellatio non est, si fortè Arabibus cum Hebræis sit communis.

67. Deut. 14. ℣. 18. servat Persa vocabulum Hebræum חסידה *Chasîda*; At Lev. 11. ℣. 19. idem vertitur *Sefîd Murg*, q. d. *alba avis*. Atque ita certè *Onocrotalus* à Georg. Agricola vocatur Schnee-Gansz / hoc est, *Anser nivis*, vel *niveus*, ut notat Aldrovandus. Arabs utrobique vocabulum Hebræum *Chasîdam* interpretatur שקר *Sakar* quod

Accipitrem ejusque species denotat. *Chasîdam* Hebræorum alii *Ciconiam* interpretantur, (ut Pagninus, Arias Montan. itemque Tremell. & Junius, cit. loc.) quoniam quotannis migrat & revertitur, quod de Chasîda scribitur ab Hieremia: sed idem quoque optimo jure *Onocrotalo* tribuitur.

68. Quod attinet vocabulum Hebræum רחם Lev. 11. ℣. 18. id minimè ab ea radice pendet, qua Hebræis significat *diligere* vel *amare*, quæ ipsa in Arabica Lingua *Vterum* denotat: quippe hæc Arabibus per *Hha* Hh. exprimitur; at dictio illa quæ Avem denotat, per *Cha* Ch. Quæ duæ diversæ radicales literæ, veluti Arabibus non nisi puncto adjecto discernuntur, ita ab Hebræis planè confunduntur; atque utraque repræsentatur per ח. Habet utique ipse etiam Interpres Arabs idem vocabulum רחם, non per *Hha* sed per *Cha*, *Rachm*: nec ignotum illud fuit Ibn-Beitari (in sylva medicamen-

 torum,)

torum,) qui ה finale addit, atque Avem deſcribit: cujus tamen deſcriptionem, cùm illum Autorem olim in Acad. Lugd. Batav. apud Clariſſim. D. Golium volveremus, non excerpſimus, nec ea jam memoriæ ſuccurrit: ſolummodò vocabulum ipſum in Lexico noſtro Medico cum generali Avis deſignatione expreſſimus.

69. Gloſſarium Perſicum *Rachm* Aquilæ ſpeciem conſtituit, quæ Turcis appelletur קרתאל *Kartâl*, id eſt *Oſſifraga*. Ab affinitate ergo radicum decepti ſunt, qui hîc verterunt *Philoſtorgon*, vel *Cygnum*, vel propter amorem inſignem erga pullos *Pelicanum*. Hæc certè dictio *Pelicanum* non deſignat: Eſſe tamen interim in rerum natura Avem Πελικᾶνα dictum Ariſtoteli, ac aliis, non admodùm eſt dubium: quamvis ſit incertum quâ voce Hebræis propriè deſignetur.

70. At *fabuloſa* interim *eſſe*, *quæ referuntur de Ave Ægyptia pullos mortuos vivificante*

vivificante per sanguinis sui conspersionem, facilè crediderim; cùm talia à quibusdam literis prodita, nullo, ut non nemo aït, affirmari experimento queant. *Ego profectò ne juranti ea credam*, inquit Aldrovandus: *quamvis interim non lateat, Ægyptios de Vulture memoriæ prodidisse, quòd ardentissimè suos pullos amet, adeò ut per centum & viginti dies in terra commorando, nunquam humo tollatur, sed in alendam prolem incumbat, ac non se ex pullorum loco commoveat: ac si quando nutrimenti facultas desit, ne fame illi pereant, femori suo vulnus infligat, & effluentem sanguinem eis det exsorbendum.*

71. Id fortè in *Ossifragam*, pro qua *Pellicanum* vertunt nonnulli, ut exposuimus, quadrare credendum est. Nam ad *Ossifragas* & ipsi *Vultures* sunt referendi: Sic enim Plinius libr. 10. cap. 3. *Halyæeti* (Aquilæ sic dictæ,) *suum genus non habent; sed ex diverso Aquilarum coïtu nascuntur: Id quidem quod ex iis natum est, in Ossifragis ge-*

nus habet è quibus Vultures generantur minores.

72. Egregia certè laudatur *Ossifragarum* pietas, etiam in aliarum Aquilarum pullos. Nam ut cit. loc. Plinius refert, *ejectos à Parentibus cognatum genus Ossifragæ excipiunt, & educant cum suis.* Idem Arist. habet libr. 6. Histor. Anim. cap. 6. & libr. 9. cap. 34.

73. Ac universo Aquilarum generi hoc tribuit Aldrovandus, quòd erga pullos teneriores magnâ indulgentiâ & benignitate utantur. *Vbi enim*, inquit, *ob stomachi debilitatem solidiorem cibum concoquere nequeunt, tum sanguinem à præda exsuctum, neque haustum, suo in os pullorum parentes evomunt, hoc pacto levi atque digestu facili recreantes cibo, qui morbo fracti duriusculum seu difficiliorem conficere non possunt. Iuxta illud Iob. c. 39.* ℣. 33. *Pulli ejus* (nempe Aquilæ) *lambunt sanguinem.*

74. Hunc sanguinem, quem ex ore Parentis lambunt pulli, ex Ossi-

fragæ

ſtragæ corpore profluere, (ut de Pelicano fabulantur,) fortaſſe nonnulli rati ſunt, dum fortè ex ore juxtâ pectus vel ad latera defluere contingit: ut inde forſan de Pelicano fabula, vivificante pullos ſuos, ſit orta. Interim ea fabula, quatenus ſanguine parentum refici creduntur pulli, non uſque quaque à natura rerum aliena cenſeri debet: cùm ſanè Vulpes quoque à famelicis catulis abdomen ſibi corrodi ac lacerari, ſeque tandem ita vivas devorari, patiantur.

75. Hiſtoriam memoratu dignam hîc ſubnectam, quam olim ex ore Nobiliſſ. & Ampliſſ. Viri, D. Gerardi ab Hœclum, Conſulis Hardervіceni, faventiſſimi ac familiariſſimi Amici, notavi. Obſervavit ipſemet in ædibus Affinis ſui, famelicos pullos Vulpinos, ac famulorum incuriâ neglectos, lacerare primùm abdomen matris cæpiſſe; pòſt refectos cibo, abſtinuiſſe, ac interea vulnera matris ſanata

nata esse: Præ novitate rei, studio postmodùm denuò passi sunt esurire; ubi iterum ut antè lacerarunt primùm abdomen, post matrem totam devorarunt: ita ut ossium compagem reliquam, absumptâ à pullis universâ carne, ipsemet vir Nobiliss. viderit.

76. Etiam mortua quodammodò animalia nonnulla revivificari posse, siquidem vita pro functionibus ipsis accipienda sit, ex Aristot. 2. de anim. cap. 1. liquet in Hirundinibus aliisque animantibus, hyberno tempore quasi mortuis, ac cum Sole verno reviviscentibus. Simile quid circa pullos Pelicani aut aliarum fortè quarundam Avium posse forsan habere locum, non magis mirum est, quàm Naturam rerum à Deo admirandam esse conditam. Ut saltem ideo sequius quid de Patribus statuendum non sit, quòd passi fuerint vulgari ejusmodi ac fabulosâ persuasione longiùs sese ab ipsa Naturæ veritate abduci; dum interim ejusmodi fabulas,

las, de Pelicano, Phœnice, aliaſve ſimiles, à vulgo dudum receptiſſimas, atque ab ipſiſmet ex vulgata perſuaſione pro rei veritate admiſſas, inſtituto ſacro accommodantes, nequaquam aberrârunt à vero Spiritus Sancti ſcopo.

77. Magis interim ad ſcopum itidem Phyſicum collimat Franzius Hiſt. anim. part. 2. cap. 4. prudenterque ſe illis accommodat, qui ſimplicitati ac veritati ſimul divinarum doctrinarum, quæ vnicè ad ſalutem & ædificationem pietatis intentæ ſunt, Sapientiam humanam miſcentes, ac vulgari eâ docendi ratione, ad captum plebejorum accommodatâ, uſitatiſſimâ etiam Spiritui Sancto, non contenti, exactiſſimam ubivis ἀκρίβειαν, eorum quoque quæ Philoſophiæ propria ſunt, in rebus fidei ac pietati inſervientibus, requirunt: *Iterum monemus ſtudioſos*, inquit, (poſt cautelam circa fabulam de Phœnice ibid. cap. præced. propoſitam,) *ut quando hinc ſimilitudines petere*

 libet,

libet, tum utantur his adjectionibus: Quemadmodum Veteres retulerunt: ficut Patres fcripferunt: nimirum ne alios in his fabulis confirment.

78. Prudentur inquam ejufmodi adjectiones adhiberi, ubi dicendum coram iis, quibus fabulæ illæ pro fabulis habentur; atque ab iis fortè, qui ejufmodi hiftoriolas reverà fabulofas effe norunt: Cæterùm parum facit ad pietatis ac veræ fidei ædificationem, five quis fciat five ignoret fabulofa effe id genus, de Pelicano, de Phœnice, &c. commenta; five rerum naturalium exquifitiorem fcientiam haufèrit, five in rebus ad naturam fpectantibus planè rudis fit; five omnia genera animantium eorumque naturas exactiffimè cognofcat, five vel ipfi Plinio in omnibus fidem adhibeat, adeóque plurima fabulofa admittat.

79. Utique nemini unquam fabula de Afpide aures ad incantationem obturante, aut de fenecta Aquilæ, obfuit ad

ad salutem: nec tali cautelâ usquam usus est Psalmographus. Ac licet fortasse, versari in fabulis ejusmodi, adversum sit naturali scientiæ; neutiquam tamen id ipsum adversum censeri debet sapientiæ divinæ: certè promovendo Spiritus Sancti instituto idipsum quandoque non malè respondet. Sic cogitationes Dei non sunt ut cogitationes hominum; nec viæ Dei, ut viæ mortalium!

80. Fortasse non magis cautelâ opus habet, si quis coram rerum naturalium ignaro vulgo, receptam quamcunque persuasionem, utut fabulosam, modò ἀδιάφορον, ac superstitione carentem, rebus veritati divinæ inservientibus accommodet ad pietatem ædificandam; quàm si quis sine cautelâ cum Jothamo Judic. 9. ℣. 7. & seqq: fabulam rei adumbrandæ idoneam excogitet, de arboribus sibi Regem quærentibus.

81. Nec verò plus dispendii ad pietatem veramque fidem orietur, si quis

forte in fabulosa de Pelicano ac Phœnice narratione confirmetur; quàm si in Lybia Pygmæos habitare credat, aut in Æthiopia reperiri Apes magnitudine catellos superantes.

82. Profectò, non is præ aliis excellit in Theologia, nec magis in vera pietate vel fide confirmatus est, qui exactissimam naturalis historiæ cognitionem adeptus est; sed is, qui maximè animo simplici ad Spiritus Sancti scopum attendit, & cui non est scandalo simplicitas Scripturæ, vel offendiculo Sacrorum Doctorum ruditas in iis quæ sita sunt extra Sacro-sanctę Veritatis pomœria. Quid interim de Pelinano probabiliter statui queat, liquet ex antedictis.

DE PHOENICE.

83. PHœnicis fabulam itidem paucis excutere lubet: quam Franzius histor. sacr. part. 2. cap. 3. futili omnino ratione refellit, dum eam pugnare

gnare aït cum Hiſtoria diluvii, ubi ſemper bina individua includuntur. Quaſi verò & veſpæ, & ſcarabæi, & culices, & crabrones, & quicquid tandem diſtinctionem ſexus omnino nullam admittit, quicquid ſpontanea generatione ex principiis à Deo conditis produci aptum eſt, unà tamen cum ſuo pari in arcam cum Noacho fuerit ingreſſum: quaſi non ex limo ſui ac putrilagine Phœnix poſt diluvium potuerit, Deo ita volente, reſurgere æquè, atque ex ſuis cineribus eandem renaſci ajunt.

84. Sed ne fabulam non fabulam efficere velle videamur; prætermiſſis plurimorum de Phœnicis fabula opinionibus, quid ipſi de ea ſentiamus, paucis exponam.

85. Veriſimillimum equidem nobis videtur, *Phœnicem* fuiſſe *Characterem Hieroglyphicum* antiquorum Ægyptiorum, quo voluerint denotare Cæli ſeu Mundi & Aſtrorum contemplationem

&

& cognitionem in *Phœnicia* primùm esse ortam. Ut adeò ipsa illa avis, suis coloribus depicta, Mundum universum significet.

86. Quippe aurei coloris *caput* illi tribuunt, quo Cælum stellatum, seu suprema Mundi adumbrant: *Corpus* variegatum rubro, viridi, ac flavo colore, in Mundi Medio Terram ipsam denotat: Cyaneum *pectus*, subjectam terris aquam: purpurascens *cauda*, Expansum, seu circumfluum terris aërem & æthera.

87. Hanc autem *Phœnicem*, seu *Mundum*, vivere & superstitem esse ajunt, donec revertatur in nidum suum, seu illam stationem situmve cælestium corporum consequatur, quem obtinebat cùm primùm à Deo conderetur: Eo autem tempore peracto, per se ipsum *comburi Phœnicem*, hoc est, Mundum sui conflagratione mutatum iri: quippe ut Ovid. in Metam.

Esse

Esse quoque in Fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & Mundi moles operosa laboret.

E cinere autem sui tradunt *revirescere* ac *reviviscere Phœnicem*, hoc est, renovatum iri Mundum ex superstite ab incendio materia.

88. Illa autem duratio Mundi, seu revolutio cælestium corporum, donec omnia recuperare credantur pristinum situm, *Annus sidereus magnus* dictus est: Unde Plinius libr. 10. cap. 2. de Phœnice, *Cum hujus alitis vita*, inquit, *magni conversionem anni fieri, prodit Manilius: Iterumque significationes tempestatum & siderum easdem reverti: Hoc autem circa meridiem incipere, quo die Signum Arietis Sol intraverit.*

89. Diversimodè autem illa temporis quantitas, quâ conversio illa Mundi magna (quam & *annum Platonicum*

vo-

vocant,) absolvatur, à variis definitur: Alii 49000. annos illi tribuunt; alii 36000. alii 25000. Firmicus 1461. constituit. Virgilius novam conversionem, novamque Mundi originem sub Augusto inchoare voluisse videtur, cùm inquit:

Iam nova progenies cælo demittitur alto,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

90. Ex tali incerto calculo Sapientum, incertus annorum numerus *Phœnici* datus est. Plinius *sexcentos* & *sexaginta annos* vivere scribit: Alii *septies mille & sex annos*: Solinus *duodecies mille, nongentos, trecentos*, ac *duodecim*. Alii *quingentos* tantum. Hæc de fabula Phœnicis, avidè olim à Patribus arrepta ac credita: Ex quâ plurimi Scriptores Ecclesiastici antiqui, Tertullianus, Lactantius, Ambrosius, & alii, varias similitudines & allegorias eliciunt; quas prætermittimus.

Ad ex-

Ad explendas Pagellas residuas, addam sequentia,

DE UNICORNU AFRICANO,

Ex Celeberrimi Viri, D. THOMÆ BARTHOLINI,

Histor. Rariorum Cent. 2. Hist. 61.

FRANCISCUS Marchio de Magellanes Africanus, nomine Regis sui Guinensis ad Curlandiæ Ducem Legatus, Hafniæ 1652. mense Octobri substitit, visisque rarioribus in Technicothecâ Regiâ, inprimis Unicornu boreali nuper ex Groenlandiâ advecto, undecim spithamas longo; mirabatur cornu hujus longitudinem, monuitque diversum in patriâ suâ Unicornu reperiri ex genere quadrupedum sæpe à se visum, nec de eo in Africâ dubitari. Quia verbis pondus inesse videbatur hominis non barbari sed Christiani, generi Regis ut ferebat & nepotis,

potis, de animali isto ejusque cornu diligentius inquisivi, Serenissimo Rege meo clementer jubente, hæcque ex ejus relatione comperi.

Unicornu quadrupes Africanis illius *Tirè bina* vocatur, hoc est, cornutum animal. Velocissimum animal & ferum in deserto magno *Canò* Africæ oberrat, unde vivum capi facilè nequit, sed sagittis figitur. Cadaver tamen in deserto reperitur, & in usum venit incolis, quod cum veterum Monocerote non multum abludit. Ipse Magellanicus vivum viderat nunquam. Rogavi tamen ut Regis sui opera Sagittarii conferto agmine emitterentur, quo vel vivum capiatur, vel ossa, pellis, cranium & cornu ipsum nobis transmittantur.

Magnitudine & formâ equum mediocrem exprimit, capite, cruribus & pedibus pilosis, jubâ brevi vixque spithamam prolixa, cauda equina, sed non valdè pilosa. Cutis universa glabra pilis brevissimis.

Color

Color in dorſo cinereus, lineâ nigrâ per medium dorſi excurrente, à maxillâ verò inferiore ad abdomen candidiſſimus.

In fronte crinium faſciculus viſitur, ex cujus medio excreſcit Cornu unicum, cui faſciculus ille pilorum ſemper adhæret, quanquam Cornu à fronte animalis ſit ſeparatum.

Cornu ipſum, vix tres ſpithamas ſuperat, octo vel novem circiter pollices craſſum in baſi. In apice hujus cornu faſciculus pilorum rubrorum eſt appenſus, pugni amplitudine, quod hactenus nulli Unicornuum ſpeciei proprium audivi vel legi.

Cornu neque in gyros contortum inſtar Unicornu borealis, ſed exiguas eminentias habet & inciſuras, quæ à fronte recta linea ad apicem producuntur. Color flaveſcens. Cavum circa radicem. Mas ſolus cornu iſto ſolo viſitur, fœmina in reliquis mari ſimillima ſine cornu.

Africani

Africani magnum huic cornu ſtatuunt pretium ob virtutes decantatas. Contra venena omnia illud exhibent, tam intus ſumptum quàm extra. Fera antequam bibat, ſemper cornu aquis mergit, quæ exinde planè turbantur. Unde incolæ cornu adhibituri, apicem cum faſciculo pilorum aquis mergunt, ex quo deinde aquam ſalutis gratia exſugunt. Aqua faſciculo immerſo ebullit, ſicut id omnibus ſiccis uſu venit, Unicornu foſſili, calcinatis cornibus, & de veterum Monocerote fama fert.

Caro Monocerotis Africani non ingrati ſaporis, recenter cocta & comeſta, lepram curat. Pili caudæ in pulverem cremati, & in vino Hiſpanico aſſumpti, dyſentericis prodeſt.

Monocerotis hoc genus nunquam deſcriptum aut depictum fuit. &c.

Relationi novæ fidem plenam ſpondemus, quando ex condicto Unicornu ipſum ad Sereniſſimum Regem noſtrum Marchio Magellanicus tranſmiſerit.

F I N I S.